DE FIDE HISTORICA SILII ITALICI

QUAESTIONES HISTORICAE ET PHILOLOGICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

ALBERTINA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE OBTINENDOS

UNA CUM THESIBUS

DIE XXVI MENS. FEBR. a. MDCCCLXXXI HORA XII.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

JOANNES SCHLICHTEISEN,

MARCHICUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

LUDOVICUS EHRENTHAL
HUGO REITER
} SODALES SEMINARII PHILOLOGICI.

REGIMONTII PRUSSORUM.

MDCCCLXXXI.

PROSTAT IN OFFICINA HARTUNGIANA.

GUILELMO

FRIDERICI GUILELMI HEREDIS MONARCHIAE

DOMI MILITIAEQUE SUMMAM GLORIAM CONSECUTI

ET RECTORIS ALMAE ACADEMIAE ALBERTINAE MAGNIFICENTISSIMI

FILIO,

GUILELMI IMPERATORIS GERMANIAE AC REGIS BORUSSORUM

AUGUSTISSIMI, POTENTISSIMI, INVICTISSIMI

NEPOTI

CELSISSIMO REGIAE DOMUS BORUSSICAE PRINCIPI

HONORIBUS MAXIMIS ORNATO

ATQUE OLIM CONDISCIPULO LYCEI FRIDERICIANI CASSELLANI

GRATI MEMORISQUE ANIMI MONUMENTUM

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

BENIGNISSIMO IPSIUS PERMISSU

EA, QUA PAR EST, REVERENTIA

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR SUBIECTISSIMUS.

Summe et benignissime Princeps!

Primum TUAE CELSITUDINI a me gratia habenda quam maxima, quod benevole permisisti, ut TIBI hoc qualecunque opusculum meum consecrarem. Video ex ea re TE inde ab eo tempore, quo una Hartwigio docente in Lyceo Cassellano his studiis operam impendimus, scientiae historicae amorem numquam ex animo dimisisse. Cuius profecto in regendis hominum sortibus gentiumque fatis, quibus TE divina providentia destinavit, quam maxime interest. Et paululum quidem esse, quod ego hac dissertatiuncula litterarum historicarum cognitioni profui, me non fugit, praesertim cum in poeta obscuro saepissimeque languido versatus sim. Attamen nec in hac materia aridissima quasi quaedam lumina desunt et quaestiones respectu eruditorum haud indignae. Laetabor, si TU quoque in hac mea commentatiuncula nonnulla veri grana TE invenisse fateberis. Vale.

Ex epicorum Latinorum numero mirum quantum neglectus est a philologis nostri saeculi Silius Italicus. Huius enim poetae ,Punica' Georgius Thilo quamquam codicibus diligenter excussis denuo edere in animum induxit[1]) et ut in ,quaestionibus Silianis criticis', quae cum continuatione XXIIIa rerum de paedagogio regio referendarum Halis 1858 prodierunt, ita in ,emendationibus Silianis' symbolae philologorum Bonnensium tomo primo (p. 397, sqq.) anno 1864 emisso insertis prolusionem quandam criticam dedit, tamen nescio qua de causa ab incepto destitit multorumque spes delusit.[2]) Itaque nisi forte textuum ,ad optimarum editionum fidem' recognitorum rationem habeas, cumque Honoratus Occionius Italus in libro ,Caio Silio Italico e il suo poema' Florentiae 1871 iterum edito quattuor tantum primos libros paucissimis mutatis repetiverit nec codice Casanatensi, qui corruptissimus est[3]), collato quicquam memoratu dignum praestiterit, novissima carminis editio est Georgii Alexandri Rupertii Gottingae annis 1793—1795 publicis iuris facta; et eam in laudando versuum numero sequar. Praeter eam et antiquiores duae Dausqueiana (Parisiis 1615 s. 1618) ac Drakenborchiana (Traiecti 1717) et duae coaetaneae fere a Lefebvrio Francogallo (Parisiis 1781) et ab J. C. Th. Ernestio (Lipsiae 1791/92) curatae

1) Symb. phil. Bonn. I, 1864 p. 401 ,cum primum de Silio edendo cogitare coepissem'.

2) Vd. e. g. Wezel ,De C. Silii Ital. cum fontib. tum exempl.' p. 105.

3) Vd. Blass. supplem. annal. Fleckeis. VIII. p. 178, Nr. 17.

nonnumquam bonae frugi sunt consulenti. Sed hae omnes, quarum recentiores Occionio saepius in adnotationibus ,le nuove vel le moderne edizioni' appellare placet, nostri aevi postulatis non sufficiunt. Nam cum praeter lectiones nonnullorum hominum doctorum opera e perdito libro Coloniensi excerptas non modo non omnia Sangallensis apographa in suum usum convertissent eorumque pretium accurate perpendissent, sed, licet inviti, fere in deterrimo quoque manuscripto niterentur, multi iam novam editionem, in qua traditi fide accurate servata variae meliorum codicum scripturae adnotatae essent, flagrantissime petiverunt. Huic desiderio quodam modo succurrit Hermannus Blassius, qui operam a Thilone dilatam suscipiens et auxilio eius adiutus in disquisitione de textus Siliani fontibus, annalium Fleckeisenianorum supplemento VIII° (Lipsiae 1875/76 p. 161, sqq.) recepta[1]), summa cum cura ac sollertia quid de archetypsis amissis traditum accepissemus quove consilio veteres viri docti iis usi essent, exposuit et omnium codicum Silianorum, qui aetatem tulerunt, ratione habita ac descriptione data genera librorum manu scriptorum accuratissime discrevit eosque definivit, qui novae editioni fundamento esse deberent.[2]) Idem vir eruditissimus simul et benignissimus, cuius cognoscendi nuper Berolini versatus locum nactus sum, cum optimos codices collatos habeat, cupienti mihi de nonnullorum nominum scriptura tradita edoceri benevole per litteras obsecutus est. Quin etiam dudum totum poema notis criticis instructum publici iuris fecisset, nisi, quod dolendum est, morbo intestino et magistri officiis a perficiendo et elaborando opere prohiberetur. At priusquam ea in lucem prodeat, coniecturae et emendationes aut omnino retinendae aut parcius adhibendae videntur, ut Baehrensius in Bursiani relationibus annuis (tom. X. qui

---

1) Etiam separatim impressa exstat.

2) cf. Baehrens. Bursian. relatt. ann. III, 1874/75, p. 223 sq. ,Einen höchst erfreulichen Beitrag zur Handschriftenkunde des Silius verdankt man der Schrift von H. Blass etc.'

ad annum ab incepto hoc opere quintum pertinet, p. 52) de Augusto Chory, qui Lipsiae anno 1877 ‚emendationum Silianarum specimen' (ad tres primos poetae libros spectantium) publicavit et multa ne felicia quidem tentavit, recte eius dissertationem praematuram esse iudicaverit. Contra nova illa textus conformatio, cum res ad minutiora plerumque redeat, non eodem modo ad fidem historicam Silii examinandam necessaria est. Unde forte accidit, ut paulo alacrius studia historicorum poetae operam dederint et quidam nostri saeculi viri docti quid de fontibus eius statuendum esset, quaesiverint. Quorum primus memorandus est Cosackius, qui dissertatione Halensi anno 1844 — ‚quaestiones Silianae' inscripta est — veterum commentatorum sententiam, Silium tam in rebus quam in forma Livio ante alios usum esse, confirmare studuit, ceterum poetam ut poetam, qui ornamenta narrationis excogitasset nec omnia ex scriptis fontibus repetivisset, censendum esse monuit (p. 40), denique praeter res ad antiquitates et mythologiam spectantes fide non dignum esse auctorem putavit (p. 56). Haec licet perquam sano iudicio disputaverit, tamen in universum agere quam ampliorem carminis partem singillatim pertractare maluit. Sequitur E. Wezelius, qui Lipsiae 1873 ‚De C. Silii Italici cum fontibus tum exemplis' disseruit, at magis ad formam intendit et, quamquam ob diligentiam a Baehrensio Bursian. relatt. ann. I. 1873 p. 215 et a Blassio annal. Fleckeisen. 1874 p. 471 laudatus, plerumque locos a Rupertio indicatos describere sat habuit.[1]) Denique in eo ipso capite, quo maxime sua profert, versus Silianos et Ennianos inter se comparans, ratio eius artificiosior quam verior est. Nec quicquam eum certi eruisse intellexit praeter alios Baehrensius l. c. demonstravitque Blassius recensionis annal. Fleckeis. inde a l. l. scriptae, qua

1) Multos auctores ex his tantum locis, quos accuratius inspexit, novisse nec ipse perlegisse videtur. Et ne verba quidem ex aliis scriptoribus a Rupertio iam in adnotationibus excerpta et impressa secure repetere veritus est, ut facile cuique videre licet.

simul optima ad Silium aestimandum praecepta continentur, paginis 506—512.[1]) Prorsus novum, Silium quasi imaginem vetustissimorum annalium scriptorum repraesentare[2]), invenit Heynacherus. Is enim duobus libellis, dissertatione Jenensi ‚Ueber die Quellen des Silius Italicus' erster Theil (Ilfeld 1874) et programmate scholae monasterialis Ilfendensis (Nordhusiae 1877). ‚Die Stellung des Silius Italicus unter den Quellen zum zweiten punischen Krieg', in quo argumentum dissertationis ad quattuor primos Silii libros pertinens paucis mutatis iterum excudendum curavit et continuavit, evincere studet Silium semper a Livio discrepare, ubi is cum Polybio vel Coelio Sileni, qui in Hannibalis castris de bello Punico secundo scripsit, vestigia prementibus consentiat, et in iis tantum partibus cum auctore librorum ab urbe condita congruere, in quibus is annalium scriptores nil nisi res Romanas laudibus efferentes vel Coelium, ubi et ipse Romanos annales ante oculos habuerit, secutus sit. Et quia doctum fuisse Silium Plinius tradiderit, veri simile esse putat, eum antiquiores quam Livium scriptores consuluisse (progr. p. 2) fontem vero habendum esse aliquem, qui cunctationem senatus, cuius Fabius auctor fuit, defenderit (e. g. dissert. p. 20) simulque Scipiones laudibus cumulaverit. Itaque de Ennio cogitat Scipionum familiari, qui gloriam Fabiorum historiis Fabii Pictoris traditam[3]) et Scipio-

1) Hanc commentationem Sieglinius, qui in dissertatione Lipsiensi anni; 1878 (‚Die Chronologie der Belagerung von Sagunt') contra Polybii relationem Saguntum anno 218 a. Chr. n. obsessum et expugnatum esse pro certissimo habet, ignorasse videtur, cum non modo p. 28 sq. Wezelii argumentis quasi firmis nitatur, sed etiam ex Siliana Sagunti circumvallati descriptione de Ennio coniecturam faciens et Silii de Hannibale Gades proficiscente narrationem ex Ennio derivandam esse opinatus (p. 34) inde confusae harum rerum chronologiae originem repetat (cf. p. 33 sq.)

2) cf. dissertationis mox citandae p. 31, progr. p. 68, Nr. 8.

3) Sed vd. Schwegler hist. Rom. I, p. 86 ‚ob er (Ennius) schon das Geschichtswerk des Fabius gebraucht hat? Es sind hierüber kaum Mutmassungen möglich'.

num in unum coniunxerit, cum praesertim Wezelii exemplo plura Ennii fragmenta locis Silianis illustrari posse (cf. e. g. diss. p. 2 progr. p. 43) et nonnulla indicia Silianae narrationis ad poeticum fontem ferre (e. g. progr. p. 40) existimet. Sed non satis certus est nec ubique sibi constat: nam non modo non mox confidentius de auctore Silii dixit (e. g. progr. pp. 19, 24, 40), mox cautius agit et concedit in paucitate fragmentorum, num Silius Ennio usus sit, vix ad liquidum perduci posse (e. g. diss. p. 29, progr. pp. 28, 33, 43); verum etiam Valerium Antiatem intermiscet (progr. p. 26 sq.), quem quidem causis non allatis fontem Fabianum appellat (cf. progr. pp. 3 et 51). Haec omnia quamquam melius et moderatius in programmate exposita sunt, saepius rebus levissimis et differentiis imaginariis vel minimi momenti nituntur.[1] Apud Silium multa occurrere cum Liviana narratione congruentia, multa etiam ei repugnantia nemo, qui vel obiter versus perlustret, negabit. At ne nimius esset in vera historia retinenda, forte exemplum Lucani effecit, qui cum ultra modum anxie memoriae vestigiis institisset, gravissimam a Petronio reprehensionem tulit, in cuius satira Eumolpus dicit (c. 118 extr.): ‚non enim res gestae versibus comprehendendae sunt, quod longe melius historici faciunt, sed per ambages deorumque ministeria et fabulosum sententiarum tormentum praecipitandus est liber spiritus, ut potius furentis animi vaticinatio appareat quam religiosae orationis sub testibus fides'.[2]) Quaerendum igitur erat, priusquam ad remotissimos et obscuros auctores recurreretur, num momenti aliquid tractationi poeticae tribuendum esset, num fieri potuisset, ut Silius Livium, qui splendore suo veterum annalium memoriam mox exstinxit[3]) et proximus fons studio simul Romanarum partium perpolitoque dicendi

1) Hoc etiam intellexit Sieglinius D. Chronol. d. Belag. v. Sagunt p. 28, adnot. 58; attamen Heynacherum rectam viam iniisse censet.

2) cf. Barth. ad Stat. Theb. III, 426 et IV, 37.

3) cf. H. Peter histor. Roman. rell. I, p. C.; Liebaldt ‚De Valerio Antiate annalium scriptore' progr. Numburg. 1840. p. 22.

genere commendari debuit,[1]) ante oculos haberet ac tamen multa poesis heroicae rationi magis adaptaret sive ab aliis arcessens, quae *ποιητικώτερα* videbantur, sive de suo fingens. Verum enim vero se in poeta tractando versari, 'cuius ut vera dicat minus interesse debet quam ut delectet, Heynacherus paene oblitus esse videtur, cum perpaucis tantum locis libertatem poeticam sibi obiciat.[2]) Immo dici vix potest, quam multa absona, quin etiam falsa nobis venditaverit. Nec tamen illae opiniones indignae sunt, quae tandem aliquando refellantur. Nam iam video eas latius exspatiari, cum praeter Sieglinium l. l. etiam Baehrensium, criticum nostri aevi, quamvis in coniecturis suis textui obtrudendis nimis prodigum et Nicolai Heinsii, cuius exemplum se sequi fatetur,[3]) male aemulum, tamen minime spernendum et lectione poetarum Romanorum *ὥς τινα καὶ ἄλλον* imbutum, deceperint. Nam is quomodo Bursian. relatt. ann. X, 1877 p. 52 de Heynacheri opere dicere potuerit ,in welcher eben so umsichtigen wie fleissigen Arbeit der genaue Beweis geführt wird, dass Livius nicht die Hauptquelle des Silius war, sondern, dass auch ein älterer Annalist, vielleicht Fabius Pictor, von ihm benutzt ist, somit also den Punica des Silius eine höhere Bedeutung als Geschichtsquelle zukommt als bisher angenommen wurde,' non assequor.

Ut hoc vero iudicium meum probarem et unusquisque id non obtrectationis, sed offucias removendi veritatisque expromendae studio factum esse videret, accurate recensendos elegi libros Silii tertium, quartum, quintum. Qui et rotundam quasi materiam continent — scilicet res post Saguntum a Poenis expugnatum usque ad Flaminium consulem caesum gestas i. e. praecipue tres illas pugnas ad Ticinum, Trebiam, Trasumennum[4]) ingens bellum auspi-

1) cf. Blass. ann. Fleckeis. 1874, p. 476.

2) cf. progr. p. 26,5, p. 31,9b.

3) praef. ad. Val. Flacc. 1875, p. XIII.

4) Hanc esse meliorem nominis formam docet Brambach Hülfsbüchlein f. lat. Rechtschreib. 1876, p. 64. cf. etiam Halm praef. ad

catas, e quibus Carthaginienses cum victores discessissent, in ipsum imperii Romani sinum viam sibi munierant — et ob tradita cum fabulis et fictionibus poeticis fere aequabiliter mixta apprime apti videntur, quibus, quam Silius rationem in carmine componendo tenuerit, demonstretur. In quaestionibus autem ipsis digerendis hoc consilium secutus sum, ut totum argumentum in duas partes dividerem. Quarum prior eas partes complectetur, quae primo obtutu ficticiae et inventione poetica natae cognoscuntur et salvo toto rerum gestarum tenore eximi possunt, altera eas, quae aut fidem historicam integre servant aut speciem quandam veri similitudinis prae se ferunt et ex vera memoria haustae videntur.

III, 5—13 et 647—714.

Legatus ad Ammonis oraculum missus.

Commenta igitur poetae, ad quae primum nos vertimus, in his libris saepius tam arte cum rebus historicis contexta sunt, ut non facile perspici et e cohaerentia evelli possint. Attamen statim initio libri tertii digressio invenitur, de qua nemo dubitabit. Versibus enim 5—13 refertur Hannibalem, ut belli eventum cognosceret, legationem ad Ammonis oraculum misisse. Hanc rem, cum in cetera rerum memoria eius ne vestigium quidem appareat, fide historica non confirmatam reprobabimus, cum praesertim causa, qua motus poeta hunc ingenii sui fetum ediderit, manifesta sit. Voluit enim tam ingenti coepto, quale fuit iter ab Hannibale in Italiam factum, quasi praeludere idque a numine sancitum facere. Sic Lacedaemonii ante initum magnum illud bellum civile, quo Graecia suas ipsa vires exhausit, Delphos ad Apollinem miserant consulturos, num res sibi bene essent cessurae.[1]) Sic magnus Alexander

Flor. 29,18 (p. IX), Weissenborn ad Liv. XXII,4 § 1. Mueller progr. gymnas. Conitz. 1876, p. 12 (adnot. 5). Et tertiam vocis syllabam constanter a poetis produci iam observavit Cluver ,Ital. antiqu.' Lugd. Bat. 1864, p. 586.

1) Thuc. I, 118.

antequam infesta signa Persarum imperio inferret, consilium Pythiae exquirere haud aspernatus est.[1]) Quid autem Hannibali Afro cum Delphis et dis Graeciae? Facile sane poetae menti recurrere debuit ‚Ammonis nobilissimum templum'.[2]) Nec aptum legati nomen invenire difficile erat. Electus est Bostar,[3]) qui Livio teste (XXIII, 34, § 2) una cum aliis mandata Hannibalis ad Philippum, regem Macedonum, pertulit. Is reversus (Sil. III, 647, sqq.). Hannibali viam per Syrtes periculosas vastasque harenas ferentem (vss. 652—665) describit et quomodo, cum ad finem itineris pervenisset, ab Arisba[4]) hospitio exceptus sit. Hoc nomen Graecum, quod iam apud Homerum (Il. *P.* 345) occurrit, forte usurpatum est, quia, fertilis dicti templi area, quasi ocellus mediae solitudini interposita, postquam Ammonis sacerdotes Alexandrum filium dei esse simularunt[5]) ac Ptolemaei regni sui fines Cyrenen usque protulerunt,[6]) Graecis vindicata esse videbatur. Fontis Ammonii contra diei rationem nunc calentis nunc frigentis nunc tepentis triplex natura, quam Bostar vss. 669—672 depingit, iam ab Herodoti (IV, 181) temporibus nota[7]) a multis veterum scriptoribus commemorata est, quos laudant interpretes ad. l. l. Eodem modo quae sequitur narratio de fano condito[8]) nil nori, nedum

1) Plut. Alex. 14.

2) Verba sunt Justini I, 9. § 3.

3) cf. Liv. XXVI, 5, § 6; 12, § 10. Polyb. I, 79, § 2 (*Βώσταρος*) III. 98, § 5 sq. (*Βώστωρ*).

4) Erravit de Vitius, cum in ‚totius Latinitatis onomastico (tom. I. Prati 1859—1867) hunc locum sub Arisbae urbis vocabulo referret.

5) Justin. XI, 11, § 7 ‚Ingredientem templum (sc. Alexandrum) statim antistites ut Ammonis filium salutant.'

6) Justin. XIII. 6, § 20. Sil. XI, 380 sq.

7) cf. Blass. ann. Fleckeis. 1874, p. 480.

8) A fabula, quae apud Herodot. II, 55 legitur, abhorret, quod altera columbarum (vs. 683) non nigra, sed ‚niveis — concolor alis' nominatur. Pro horum verborum primo, cum alii aliud proposuissent, Chory diss. Lips. 1877, p. 38 legendum censuit ‚atris'. Sed versu ab ipso allato XV, 99, ubi eadem verba eisdem hexametri sedibus leguntur,

historici, affert, quamvis columba inter tauri cornua sedens et de eius capite vaticinans (684 sqq.) nusquam alibi nisi in gemma reperiri[1]) et sacrae arboris commemoratio (vs. 691) ex confusa cum cultu Dodonaeo memoria huc translata esse videatur. Deum postremo Poenorum incepto adnuere (vs. 696 sqq.) et, iam ad Cannas clade Romanorum nobilitandas prospectantem, animo praecipere, quem ad modum Hannibal Romanos per totam vitam exerciturus et sollicitaturus sit, ut re vera fecit, consentaneum est.

III, 61—157.
Hannibal coniugi filioque valedicit.

Altero excursu, quem libere poeta effinxit, Hannibal coniugi et filiolo valedicens inducitur (Sil. III, 61—157). Cui narrationi quomodo Heynacherus (diss. et progr. p. 18.) inesse quicquam verae historiae credere possit, fateor me non intellegere, etiamsi argumentum, quo Kortuem in disceptatione ‚über das gleichartige und abweichende Element der spanisch-römischen Dichterschule in der zweiten Hälfte des ersten Jahrhunderts n. Chr.' inscripta et libro eiusdem, cui nomen est ‚geschichtliche Forschungen', inserta p. 232 fidem ei abrogare studet, quippe quod si quis Hannibalem coniugem liberosque[2]) habuisse putet, refragaturus sit ‚dem vereinzelten (isolierten) Charakter des punischen Helden und den darüber vorhandenen Zeugnissen', etiamsi hoc argumentum, inquam, fallacissimum est. Sed iam obiter tantum hos versus perlustranti, puto, mentio pulchri illius an dicam pulcherrimi Iliados loci, quo Hector et Andromache sibi obviam fiunt (*Z* 390—502) inici et cogitatio obtrudi debet, Silium mutatis mutandis non rem fontibus

---

probatur forte nil esse mutandum et poetam, non librarium, inscium in errorem incidisse.

1) vd. figuram, quam Drakenborchius huic loco appingendam curavit.

2) Uxor et filius Hannibalis praeter locum libri quarti infra tractandum etiam XIII, 879 et XVII, 334 a Silio commemorantur.

historicis traditam reddidisse, sed Homeri imitatorem se gessisse, quamquam in tanta similitudine — mulieres anxiae, ne nimio impetu viri in certamen ruant: Il. *Z* 407 sqq. Sil. III, 119 sqq., et, postquam a coniugibus diremptae sunt, amantium more respicientes Il. *Z* 495 sq. Sil. 155 — duos poetas tam magno temporum spatio inter se distantes, quod ad colorem dictionis sententiarumque gravitatem attinet, vix inter se conferendos esse nemo mirabitur. Quam vere et simpliciter omnia ab Homero exprimuntur,[1]) quam suavi motu agentium verba lectorem afficiunt, quam subtilem animi humani iudicem prodit timor Astyanactis pueruli, quo arma et patris cristam terribili tremore concitatum reformidasse fingitur (vs. 467 sqq.). Contra quam frigidam se praebet uxor Hannibalis, quae ob mariti amorem quidem omnes belli labores subituram se esse clamat, attamen sine mora in Africam redire constituit (vs. 114 sq.), quam absurda est grandiloquens illa allocutio, qua Hannibal filium, secundum versus 66 sq. vix unum annum natum, compellat (vs. 69 sqq.), cum Hector suppliciter Jovem aliosque deos imploret, ut filium bonum virum fieri velint (vs. 476 sqq.), quam aperte contra naturae leges pugnat, quod pater iam in infante torvum suum ipsius aspectum et suam ferociam agnoscit (vs. 76 sq.) et quam invita Minerva Hannibal tranquillam et otiosam senectutem qua fructum ex gloriosa priorum factorum memoria possit capere, desiderare dicitur (vs. 146 sqq.). Sed videamus, quo nomine quaque origine sit Hannibalis uxor: et iam omnis fides historica in vanum abibit totaque digressio inter manus quasi in nebulas inanes dilabetur. Nomen enim coniugis, Imilce[2]), unde non

---

1) praeter versus 433—439 certe insiticios.

2) Codices quidem, quos Blassius comiter mea gratia inspexit, III, 97 et 106. IV, 775 et 806, ubi nomen uxoris Hannibalis nominatur, ‚inulte' et ‚inulce' praebent; attamen haud scio an rectius peiores libri, quibus veteres editores innituntur, tradiderint. Nam, quod ad originem scripturae ‚inulte' attinet, librarii nomini ignoto adiectivum vulgare nec a litterarum ductibus ita dissimile substituerunt, ut V, 259

desunt, qui aliquid historici erui posse putent, nil est nisi prompta formatio feminina a noto Carthaginiensium nomine virili, quod est Imilco sive Himilco, declinata ut Barce, nomen a Silio IV, 356 mulieri Punicae inditum, Vergilii exemplo (Aen. IV, 632.) a vulgari masculino, quod est Barcas, derivatum est[1]). Quid igitur fecit poeta, ut heroici viri maritae stirpem nobilem et ex temporibus, quantum potuit, antiquissimis petitam adderet neque eam barbaram, sed Graecam potius lectoribus repraesentaret? Constabat e Livii XXIV, 41 § 7 Hannibalis coniugem Castulone, ex urbe Hispanica, ortam esse. Qua re fontis Castalii prope Delphos siti memoria poetae redintegrata est ideoque Castalium, qui alibi nepos Apollinis inducitur[2]), sacer-

---

L[3](aurentianus), O(xoniensis), V(aticanus) ‚inertes' pro ‚Jertes' exarando fecisse videntur. cf. Blass. ann. Fleckeis. suppl. VIII, p. 230 et infra.

1) Ceterum Barce etiam urbis in litore Africae septentrionali haud procul a Cyrene sitae nomen est. cf. Herodot. III, 91. Sil. II, 62. III, 251 et Plin. N. H. V, c. 5, § 32 ‚Ptolemais antiquo nomine Barce'. (item Strab. XVII, c. 3, § 20=836 extr.)

2) Prob. ad Verg. Georg. III, 293 ‚Castalius fons . . . dictus a Castalio, Delphi, filii Apollinis, filio, nepote Neptuni'. Sic enim Keilius p. 62 verba restituit. Nam et apud Paus. VII, 18, § 6 Castalius Delphi et X, 6, § 2 Delphus Apollinis filius nominatur. Nil vero causae est, cur cum Rupertio ad l. l. et Thilone (quaest. Sil. crit. p. 21) in vs. 99 ‚vatis' vel, ut libri Itali exhibent, ‚natis' in ‚nati' mutemus. Fluctuat sane varie, quod de Castalio traditur. Idem enim Pausanias altero loco citato Castalium iam non filium Delphi facit, sed avum potius i. e. patrem *Θυίας*, e qua Apollo Delphum procreavit. In Etym. Magn. s. v. *Δελφίνιος* Castalius Cres est, cui cum coloniam deduceret, Apollo in delphinum conversus praenatavit monstravitque viam Delphos ferentem, et is quidem, quia verba sequentia *κατοικήσας ἐκράτησε τῶν τόπων* secundum locum Orionis grammatici cum veri similitudine mutantur in *κατοικήσας ὁ Κασταλίου υἱὸς Δέλφις ἐκρ. τ. τ.*, non filius, sed pater Delphi. Ibi igitur cognatio, qua cum Apolline deo coniungitur Castalius, prorsus omittitur. Idemque fit in scholiis ad Eurip. Orest. 1087 (1093) et Aeschyl. Eumen. 2 (16), quae a Siebeli ad dictos Pausaniae locos adhibentur et rursus in generis serie inter se differunt. Quid non Silius Castalium ‚vatem' Apollinis fuisse finxerit?

dotem Apollinis et conditorem urbis simili nomine praeditae, atavum eius maternum posuit, forte et ea re nixus, quod mons Castuloni vicinus sicut Parnassus duplici vertice effertur[1]) (vs. 97—99.). Sed etiam avo paterno opus erat: et ad hunc impetrandum non minus perspicua ratione usus est: litteris enim formae masculinae, quae est Himilcus, per anagramma permutatis evenit nomen Graecum Milichus, *Μείλιχος* (vs. 104.), imperatorum Romanorum initio sine dubio saepius auditum, cum ita appellaretur Scaevini, socii coniurationis Pisonianae, libertus, qui cum dominum prodidisset, Conservatoris nomine (Soter) affectus est.[2]) Hoc mihi documento est non Imilce, sed Himilce scribendum esse. Quod sine scrupulis fieri potest, cum in ponenda et omittenda aspiratione manu scripti prorsus nullam auctoritatem habeant ac ne Coloniensis quidem. Qui, licet librarius eius tam bona orthographia usus sit, ut e. g. XII, 377 et 403 recte ,Hostis' inveniatur, non ,Hostus'[3]), XIII, 824 ,Verginia' non ,Virginia', semperque ,umerus, umidus, umectare',[4]) tamen etiam minus bene[5]) IV, 595 ,Irpinus' et XI, 11 ,Irpini' tradit aliaque similia. Milichum autem illum regem Hispaniae antiquissimum fuisse poeta fingit eumque, ut, quomodo illuc venisset sanguis Graecus, declararet, cum Baccho coniunxit, quem orbem terrarum pervagantem etiam paene insulam Pyrenaeis terminatam attigisse[6]) meminerat. A satyro, huius dei comite, generatus Milichus sive cornutum patris caput in clipeo effictum habuit sive ipse indicium originis semiferae retinuit cornua, quae lascivis Bacchi famulis propria sunt

---

1) vd. Rupert. ad l. l. et Sil. XV, 311; sed etiam Iahn. comm. ad Pers. prolog. vs. 2.

2) vd. Tac. ann. XV, 54 sq. 59 et 71.

3) cf. Liv. XXIII, 40, § 4 Weissenb.

4) vd. Rupertii adnot. crit. ad II, 125.

5) Jordan ,kritische Beitr. z. Gesch. d. lat. Sprache' p. 163. cf. p. 165.

6) Plin. N. H. III c. 1, § 8 ,Lusum enim Liberi patris aut Lysam cum eo bacchantem nomen dedisse Lusitaniae' (M. Varro tradit.)

(vs. 105)[1]). Mater vero eius, quae est cupiditas, qua satyri nitidis arborum silvarumque deabus insidiantur, fieri non potuit, quin nympha esset. Quam Silius, forte ut regionem fluvio vicinam, qualis fuit Baetis Castulonem praeterlapsus, adumbraret, alludens simul ad Maricae, quae nympha Latini regis mater habebatur, nomen eadem mensura similique sono elatum, apte Myricen appellavit (vs. 103). Namque myrice Heynio auctore ad Verg. eclog. IV, 2 ‚virgulti genus' est, ‚quod ripas fluminum obsidere solet'. Ita totum phantasma Silii ingenio textum quasi in singula fila sua solvimus: et assentiemur Occionio, qui ‚Caio Silio Italico e il suo poema'[2] p. 397 de nostro loco dicit ‚In questo miscuglio di erudizione e di favola è soltanto storicamente vera l'importanza della città di Castulone, attestata da Tito Livio nel lib. XXIV. cap. 41'. Quodsi Thilo quaest. Sil. crit. p. 21 duas in his versibus recensiones, quas dicimus, deprehendit: Silium primum Imilces stirpem a Castalio derivare conatum postea, cum id cum patriae Castulonis nomine non satis congrueret et frustra ad matrem conditoris confugisset, fabulam de Milicho commentum, at superiores versus emendare oblitum esse — postquam interrogavit ‚Nam quo iure Imilce, cuius gentem a Milicho Silius deduxit, vs. 97 Castalii sanguis nominata est? Quomodo Castulo, a matris nomine dicta, filii cognomina servare potuit? Quae fuerunt illa cognomina'? — mendosa interpretatione versuum 98 et 99 deceptus videtur esse, quae quidem ei cum editoribus communis est. ‚Cui' enim (in priore versu), quia ‚Phoebeus vates' sine dubio Castalium significat, non ad hunc, sed potius ad Himilcen referendum est. Quod non modo eo confirmatur, quod de illa, non de Castalio, praecique agitur, sed etiam eo, quod in vs. 100 eadem subiecti vicem sustinet. Pari modo dativum ‚cui' non cum substantivo

---

1) Iniuria Papius (s. Benseler) lexici nominum linguae Graecae propriorum [3]II p. 883 ex hoc versu conclusit *Μείλιχον* fuisse numen Phoenicium capite cornuto.

2) vd. e. g. Verg. Aen. VII, 47. Lucan. II, 424.

proxime antecedenti connectendum, sed ad personam, quae primas partes agit, spectantem posuere Valerius Flaccus II, 550 et Statius Theb. V, 675. IX, 557. Deinde ‚cognomen' ut saepius apud poetas,[1]) nil valet nisi ‚nomen'. ‚Maternum nomen' autem non simpliciter matris nomen designat, sed potius paulo artificiosius viri, qui a matre Himilcae cognatus est, i. e. Castalii illius, eodem modo, quo v. c. ‚maternus' cum ‚avo' iunctum[2]) non avum matris, sed patrem eius notat, et quo Ovidius epist. ex Ponto III, 2, 106 ‚Numam maternum' dixit, ut propinquitatem per matris genus effectam exprimeret. Itaque prius stemma maternum, deinde paternum legimus, ut utrumque etiam Sil. I, 377 sq. exstat, neque ambiguam de retractatione poematis, cuius alibi vestigia non reperiuntur, sententiam adoptare cogimur. Levem tamen mutationem et ego fecerim in vsu. 106. ‚Patriam' enim, quod ibi traditur et iam Thiloni l. c. propterea offensioni fuit, quod in praecedentibus urbs, ubi Himilce nata erat, non satis aperte indicata est, in cohaerentiam verborum non quadrat, cum non nisi de origine ex Milichi gente ducta poetam loqui e versu 107 appareat. Sed si ‚patrium' scripserimus omnia bene procedent simulque erit, quod ‚materno nomini' versus 98i oppositum sit, ut etiam loco Ovidiano, quem laudavimus, ‚Numam maternum' in vs. 105 ‚Volesus' ‚patrii . . nominis auctor' praecedit.

III, 420—441.

De origine nominis Pyrenaeorum.

Tertio loco ad fabulosam narrationem a Silio versibus III, 420—441 prolatam me vertor, unde Pyrenaei montes nomen suum duxerint. Quae, ut paucis dicam, haec est: Hercules cum Geryonis regnum peteret, in Bebrycis truculenti aulam deversus vino ebrius filiam eius Pyrenen vitiavit.

1) vd. Thiel. ad Verg. Aen. IX, 593. cf. Nipperdey. ad Tacit. ann. I, 31 (cognomentum).

2) Hor. sat. I, 6, 3.

Quo facto puella postquam serpentem edidit,[1]) metu patris irati in saltus aufugit, ubi a feris dilaniata est. Lacera autem amatae membra aspiciens Hercules, cum rediisset, in immanes querelas erupit: et nomine tam magna voce, ut saxa resonarent, saepius clamato lacrimans eam sub tumulo sepelivit. Ab ea montes appellati, qui Galliam Hispaniamque seiungunt. Quae fabula eo est memorabilior, quia Plinius N. H. III. c. 1 § 8 eius his verbis mentionem ingerit: ‚Quae autem de Hercule et Pyrene vel Saturno traduntur, fabulosa imprimis arbitror'. In qua re cum Varronis libros perditos videatur respexisse nec amplius quicquam addat, Silius narrationem mythologicam alibi nobis non traditam memoriae servavit neque fidem historicam, si quae est in talibus ei derogare possemus, si verum esset, quod Cosackius dicit quaest. Sil. p. 56 ‚neque enim est, cur in iis (sc. quae ad eruditionem sive mythologiam sive antiquariam spectant) ad suum arbitrium finxerit'. Sed eodem iure affirmare licet non esse, cur Silius hoc illud, in fabulis adumbratum magis quam definitum, non uberius exornaverit et depinxerit. Sic dubium videri possit, num iam patris Pyrenes nomen in exemplo suo invenerit. Ab aliis enim Bebrycem auctorem gentis Bebrycum ad Pontum habitantium fuisse tantum accepimus.[2]) Itaque Silius primus hunc ad populum Gallicum

---

1) Quia video homines doctos hac re offensos esse, adnotabo prodigium, quod refert Iul. Obsequens c. 57 Iahn=118 ‚in Etruria Clusii mater familiae vivum serpentem peperit'. Mire Chory emendat. Sil. spec. p. 31 sententiam ridiculam esse dixit, ‚quia Herculem patrem sane pudere debuit anguem procreasse' (!) et male proposuit pro accusativo, qui est ‚serpentem', scribendum ‚sementem' (p. 32); quae vox etiamsi ab Arnobio (V. p. 183 Reiff.) semel de semine animali adhibetur, tamen nusquam alibi pro ‚prole' usurpata reperitur et, si reperiretur, tamen ratione ab ipso Choryo p. 38 constitutae repugnaret, ubi legimus ‚iustissima corrigendi lex mihi ea videtur esse, qua nihil reponatur, quin auctoris ipsius sermone firmari possit'.

2) Steph. Byz. s. v. *Βεβρύκων ἔθνη δύο* et Eustath. ad Dionys. Perieg. vs. 805 *οἳ* (Bebryces Asiani) *οὕτως καλοῦνται ἀπὸ Βεβρυκός τινος ἡρωϊκοῦ ἀνδρός.*

cognominem, qui prope Pyrenaeos sedes habuit,[1]) transferre potuit, sicut Zacynthum, conditorem Zacynthi insulae,[2]) ab illa ad Saguntum (= *Ζάκυνθον*) delegasse videtur.[3]) Forte etiam feritatem Bebrycis ex Amyci, regis Bebrycum Asianorum crudelitate mutuatus est.[4]) Denique praecipue in ea fabulae parte, ubi Pyrene per vastas silvas palata esse dicitur, quia excultae memoriae suspicionem praebet et comparari potest cum Statiana de Psamate Argiva narratione (Theb. I, 571 sqq.), quae cum ab Apolline gravida Linum peperisset, poenam metuens in ‚avia rura' confugit, quid poeticis additamentis debeatur, quid e genuina rei traditione receptum sit, discerni vix potest. Certe, cum Plinius sola illa verba extenuata protulerit, quam viam Silius in tractanda fabula inierit, ita persequi nequimus, ut sine haesitatione, quamvis res ad historiam non spectet (et forte ob id ipsum), ei fidem traditi integerrime servatam tribuamus.

III. 557—629.
Colloquium Jovis et Veneris. Laudes Domitiani.

Postremo ex hoc libro referendum est colloquium in Olympo habitum. Venus enim, Aeneae mater et vetus populi Romani amica, metuens, ne excidium Troiae repetatur cum Jove victricia Poenorum signa conqueritur (vss. 557 bis 569).[5]) Deorum autem pater eam consolatur dicens populum, qui ad terrarum orbem subigendum se accingat, non desidia debere torpescere, sed bellis exerceri, simulque ad Paullos, Fabios, Marcellos prospiciens et vaticinans iam electum esse virum, qui Hannibalem, ut in patriam rediret,

---

1) Cass. Dio frgm. 56 § 2 (Dindorf. tom. I, p. 88.) *ταῖν πάλαι μὲν Βεβρύκων, νῦν δὲ Ναρβωνησίων ἐστὶ τὶ Πυρήναιον ὄρος.*

2) Dionys. Hal. archaeol. Rom. I, 50.

3) Sil. I, 273. sqq.

4) Qui unumquempue, qui Bithyniae appulit, ad pugillationem provocavit, donec a Polluce peremptus est: vd. Apollod. bibl. I, c. 9 § 20. Val. Flacc. IV. 99 sqq.

5) cf. Verg. Aen. X, 16—52.

coacturus et ante ipsa Carthaginis moenia devicturus esset (570—592),[1]) quibus dure et sine iusto transitu laudes gentis Flaviae imprimisque Domitiani perquam ineptas et adulatorias subiungit (593—629). Tam humiles erga imperatorem blanditias ut nemo firmi et constantis animi esse iudicabit, ita summis contumeliis notandae non sunt. Hoc enim, ut Cosackius quaest. Sil. p. 10 sqq. exposuit, vitium eius aevi commune erat et adulatio, ut Occionii (l. c. p. 31) verbis, qui quidem temporum illorum labe quam tristissimis vocibus descripta Silii defendendi maxime studiosus est, utar, ‚una necessità . . , una gabella d'obbligo per comperare la libertà di scrivere'[2]) Ac non indignum est, quod adiciatur eum non eo usque, quo Statius et Martialis, processisse. Ex altera enim parte non tam sordidum et vilem se praestitit quam Martialis — Statius Domitiano non videtur supervixisse — qui paulo post ultimi Flaviorum mortem novum regnum blandissime ambit et praeterito, quod non multo ante omnibus laudibus cumulaverat, ignominiam iniungit.[3]) Neque enim versus Sil. XIV, 686 sqq. quos cum Teuffelio (hist. litt. Rom.[3] nr. 320 adnost. 3) ad quietum Nervae imperium referam, veritatis modum excedunt. Praeterea Silius, cum Traianus urbem intraret ad imperatorem

1) Quod huc adduxit Wezelius l. l. p. 22 sqq. Servii notam ad Verg. Aen. I, 20 ‚In Ennio enim inducitur Juppiter promittens R o m a n i s e x c i d i u m Carthaginis' et hanc digressionem poetam debere Ennio demonstrare studuit, recte opponit Blassius recens. p. 511 Jovem hoc Silii loco n e q u e R o m a n i s q u i c q u a m polliceri n e q u e e v e r s i o n e m C a r t h a g i n i s, iamque Vahlenus cum quaest. Ennian. (ante Ennianae poesis reliquiarum editionem, Lipsiae 1854) p. LXIII diceret ‚ac Juppiter, exoratus forte a V e n e r e, promittit Romanis excidium Carthaginis' comparatis versibus Silianis IX, 535 sqq. ubi Juppiter J u n o n e m alloquitur, ab Ennio in his rebus non dependere nostrum tacens indicaverat.

2) cf. A. Imhof T. Flavius Domitianus (Halis. 1857.) p. 136. ‚Nicht einmal rein wissenschaftliche Werke vermochten unbefangen und, ohne dem Servilismus ihren Tribut zu zollen, hervorzutreten, wie man an Quintilianus und Frontinus sieht.' (De Frontino autem Teuffel[3]. nr. 747, 2.)

3) cf. epigr. XII, 6.

consalutandum Romam non venit[1]) sed tranquille in villa sua Campana remansit. Ex altera vero parte non desunt loci, e quibus libertas quaedam (quamvis exigua) elucet, sic III, 589 praeteriens luxuriam et mutatos Romanorum animos carpit, sic IX, 346 sqq. Romanam magnitudinem numquam clarius praenituisse autumat, quam cum proelio Cannensi amisso maxime afflicta fuerit, populumque continuis rebus secundis ita esse degeneratum, ut gloria ei e cladibus maiorum petenda sit, sic X, 657 malle se dicit Carthaginem non esse dirutam, si quidem ea deleta tantam Romanos morum corruptionem invasuram esse fatis destinatum fuerit, sic XIII, 601 sqq. poenas, quas scelesti reges ac tyranni[2]) apud inferos luent, describit et quo modo manes eorum, qui vivi ab iis ne querelis quidem admissis iniuria affecti sint, in eos invecturi sint, narrat, sic denique XV, 125 sqq. Voluptatem Scipioni affirmantem facit, ventura esse aliquando sua tempora, ubi sibi soli Roma servitura sit. Verum singula, quae e vita imperatorum Flaviorum affert, accuratius tractare non ad propositum nostrum pertinet, cum praesertim praeter exsuperationem poeticam, qua Domitianus victor Indorum et Bactrorum[3]) (vs. 612, 613) celebratur, et imitationem vs. IX, 642 Aeneidos Vergilianae,[4]) qua idem, nate

1) vd. Plin. ep. III. 7 et Mommsen Hermae III. 1869, p. 43.

2) cf. etiam XVI, 533 sq.

3) Hoc, nisi forte legationes remotarum gentium, de quibus vd. Friedländer Darstellungen aus d. Sittengesch. Roms I[4] p. 46 sqq., tantae exaggerationis ansam dabant, non habeo quo referam alio quam ad Suet. Dom. c. 52 ,alios Orientis reges' (sc. praeter Parthos), ,ut idem (sc. auxilia) postularent donis ac pollicitationibus sollicitare temptavit', vel ad deditionem falsi cuiusdam Neronis, cuius idem scriptor in fine vitae Neronianae mentionem facit.

4) Hoc recte affert Occioni. p. 411 ad vsm. 607. (post alios, ut semper) et inde dubia fit emendatio, quam alioquin arridentem proponit Chory p. 36, oratio ut ad Venerem, quacum Juppiter colloquitur, dirigatur, postulans et scribens ,Tunc, o nata, deum divosque datura, beatas Imperio terras reget. **Arva** (pro ,rege. Tarda') senectam Hospitiae (pro Hospitia) excipient caeli', licet concedendum sit transitum a Venere compellata ad Domitiani ipsius allocutionem durissimum esse. Aperte

deûm divosque dature' appellatur (vs. 625), quamquam secundum Suetonii (Dom. c. 3) et Silii ipsius (vs. 629) unicum tantum filium habuit, nil novi commemoretur. Neque in vs. 608 ‚praeformidate Britanno' legendum est, quod cum ex editorum notis traditum esse collegissem, prius defendere studui, sed cum vulgata ‚Batavo', quó fert scriptura codicum L[s]FO ‚batano', quam Blassius mecum communicavit.

IV, 355—400.
Certamen fratrum trigeminorum.

E sequenti libro iterum quattuor partes statim semovendae sunt. Huc primum spectant versus 355—400, quibus duo fratrum trigeminorum paria, filiorum Xanthippi illius Lacedaemonii, qui Regulum vicit, e Carthaginiensium et trium Aricinôrum e Romanorum partibus inter se pugnantia inducuntur. Imitatur enim poeta, ut iam pridem editores cognoverunt, nobile Horatiorum et Curiatiorum certamen, quod Livius I, 24 refert. Et mira quidem cum in proelii ordine tum in verbis et sententiis congruentia est: Livii verba (I, 24 § 1) ‚trigemini fratres nec aetate nec viribus dispares' Silius repetit hisce ‚Tergemini fratres' (vs. 355) et ‚Aetatis mentisque pares' (vs. 368), ut illic (c. 25 § 1) dii patrii, cives et parentes quasi exspectatione suspensi arma dimicaturorum intueri dicuntur, ita hic Spartanorum animi recordatione rerum egregie a Graecis gestarum,

---

autem idem vir doctus, quod praetereundo moneam, erravit, cum vs. 616 sq. ‚Idem indignantem transmittere Dardana signa Sarmaticis victor compescet sedibus Istrum', ubi Gronovii notam male intellexit, pro ‚sedibus' corrigeret ‚sudibus' et interpretaretur (p. 35). ‚Istri violentiam perdomabit, minuet stipitibus in ripa defixis' comparans III, 599 ‚compescet ripis Rhenum', quod hoc commentario instruxit ‚ubi Rhenum ripis munitis tutum factum esse (sc. a Vespasiano) Silius commemorat' (!) Neque enim secum reputavit vir optimus illam locutionem non de vera fluminis circumvallatione usurpari, sed poetica ratione nil nisi victoriam de accolis fluminis reportatam significare; in vs. 617 autem ‚sedibus' dativus est cum infinitivo ‚transmittere' coniungendus, quasi sit ‚transmittere in sedes'.

patris, Amyclarum clarae eius patriae[1]), Reguli capti ad fortitudinem inflammantur; ut illic (c. 25 § 5) initio ‚duo Romani super alium alius . . . exspirantes corruerunt', ita hic duo ex Aricinis, Albanus (vs. 382) et Capys (vs. 385); ut illic (c. 25 § 7) Horatius superstes fugae se mandat, ut hostes, quorum quisque fratre gravius vulneratus erat, spatiis intermissis se sequantur et cum singulis sibi res sit, ita et hic (vs. 391) Aricinus vivus relictus timidum se esse simulat et pedem refert. Ac postquam ex adversa quoque parte duo fratres ceciderunt, apud Livium (c. 25 § 11) legitur ‚aequato Marte', apud Silium (vs. 393) ‚aequatae pugnae', apud illum (ib.) ‚geminata victoria' exstat apud hunc (ib.) ‚geminatum funus'. Solus eventus diversus est: nam apud Livium Horatiorum ultimus etiam tertium fratrum Albanorum interficit, apud Silium Virbius et Critias se invicem transfigunt (vs. 393 sq.); et iure poeta exitum Livianum immutavit, cum non, ut ille, de foedere ageret, quo parti victrici dominatio, victae servitus destinabatur itaque, ut unus certe superesset, postulabatur. Finis igitur proelii a Silio excogitatus lectori satisfacit: personae autem castris Carthaginiensium accensitae propterea infeliciter electae sunt, quod poeta ipse VI, 680—683 Poenos Xanthippum, cum domum redire vellet, de nave in mare praecipitasse narrat. Intellegere debuit vix fieri potuisse, ut filii hominis tam perfide a Carthaginiensibus tractati patris peremptores bello contra hostes acerrimos gesto adiuvarent[2]). Nec ineptiam, matrem eorum Poenam faciendo

---

1) Ne quis vero Silium accuratius urbem, in qua natus erat Xanthippus, alibi simpliciter ‚Lacedaemonius' appellatus, novisse putaverit. Nam Amyclas h. l. poetica tantam ratione pro Lacedaemonia positas esse manifestissime apparet e vs. VI, 303, ubi ex urbe Therapne Xanthippum missum esse invenimus. Perperam igitur Muecke ‚De Xanthippo Lacedaemonio, Carthaginiensium duce' (diss. Hal. 1866) p. 10 (cf. p. 15) dicens semel poetam Therapne ortum Xanthippum finxisse ex ceteris locis Silianis concludit Amyclas Xanthippo patriam fuisse.

2) Hoc iam recte monitum video a Mueckio l. l.

(vs. 356) sustulit, cum praesertim filii tanta erga patrem sint observantia et caritate, ut bello confecto in eius patriam migrare iis in animo fuisse fingatur (vs. 362—364). Quod denique nomina attinet, Virbius (vs. 380, 391) iam a Vergilio VII, 762 cum Aricia urbe coniunctus est; Albanus (vs. 381, 383), quod in inscriptionibus saepius cognominis vice occurrit[1]), ob eam causam electum videtur, quod Aricia sub monte Albano sita est et quod vel Horatii illi vel Curiatii Albani erant[2]), Capys (vs. 381, 385) praeter Capuae conditorem a Silio ipso variis locis nominatum[3]) e serie regum Albanorum notus est[4]). Adversariorum unus, Xanthippus (vs. 372, 392) patris nomine affectus est; alter nomine, quod apud Graecos frequens erat[5]) atque etiam uni ex scriptoribus rerum Hannibalicarum inditum est[6]), Eumachus vocatur (vss. 371, 385, 392) forte quia initio felici successu egit[7]); tertius Critias (vss. 371, 383) est, quod nomen apud Platonem et tempore triginta tyrannorum crebrius commemoratur, quam ut exempla afferre opus sit.

IV, 622—698; 700—703.
Scipio cum undis Trebiae pugnat.

Altera particularum, quas supra adumbravi, complectitur versus 622—698 et 700—703. Quibus quod narratur, quomodo Scipio saucius in pugna ad Trebiam commissa partem proelii capessiverit et cum tumido amne luctatus sit, et quomodo Hannibal deo fluminis debitam gratiam retulerit,

---

1) e. g. C. I. L. II, Nr. 600 et V, Nr. 1008.

2) cf. Liv. I, 24, § 1.

3) XI, 179, 297. XIII, 117, 321.

4) Liv. I, 3, § 8 ‚Latino Alba ortus, Alba Atys, Atye Capys'. Cass. Dio. frgm. 4, § 10 (Dind. tom. I, p. 5) *Σιλουίου πάλιν ἄλλος Αἰνείας, οὗ Λατῖνος, οὗ Κάπυς'.* cf. Appian. *βασιλ.* in epitome Photii bibl. cod. 57, p. 16b, lin. 28 sqq. Bkk; Ov. Met. XIV, 613 sq. Fast. IV, 34.

5) e. g. reperitur Thuc. II, 33. Xenoph. Hell. I, 1, 22. Diod. XX, 57, § 4; 58. § 6 saep. App. Mithrid. c. 75.

6) Athen. Deipnos. XIII. p. 577 init.

7) A Mueckio l. l. p. 11 vertitur ‚strenuus bellator'.

imitatio Achillis in libro Φ Iliadis cum Scamandri undis confligentis est, ad quod exemplum et Statius in Thebaide (IX, 225 sqq.) pugnam Hippomedontis cum Ismeno fluvio factam conformaverat. Aestus aquarum iratarum effervescens (vs. 638 sqq. et 649 sqq.), questus fluminis corporibus oppleti (vs. 660 sqq.), magnae preces herois miseri (vs. 669), cura deae sollicitae (vs. 675), undae ab ignis deo domitae (vs. 677 sqq.), haec omnia iam ab Homero expressa et a Rupertio recte comparata sunt. Quam ob rem singula quaedam adicere sufficiet. Ut Scipio vs. 627 primum iaculo, deinde ense utitur, ita Achilles primum *δόρυ μακρὸν* sublatum iaculatur (Φ 67 sqq.), tum *ξίφει ὀξεῖ* adversarium urget (vs. 116); ut Trebia cadaver Thelgonis in Eridanum, hic in mare propellit (Sil. vs. 633 sqq.), ita Achilles quoque Lycaonem necatum laeto clamore prosequitur Scamandrum eum in aquam marinam esse delaturum (vs. 124 sq.); ut Scipio hastam e gurgite arripit (vs. 629 sqq.)[1], ita Achilles lanceam frustra emissam ex aggere ripae trahit (vs. 200); ut Scipio molem aquarum irruentem clipeo sustinet (vs. 652), ita in Iliadis vs. 241 *ὤθει δ' ἐν σάκεϊ πίπτων ῥόος* legitur; si flammis Vulcani Trebiae cursus haeret (vs. 691 sqq.), hoc respondet ei, quod Homerus de Scamandro dicit *οὐδ' ἔθελε προρρέειν, ἀλλ' ἴσχετο* (vs. 366) et si denique veniam petenti conceditur ‚ripas servare priores' (vs. 697), etiam Homerus versu (382) *ἄψορρον δ' ἄρα κῦμα κατέσσυτο καλὰ ῥέεθρα* finem facit. Ipsos honores, quos Hannibal (vs. 700—703) Trebiae deo in studium Poenorum propensi ara exstructa tribuit, quod ineptiis histrionum convenientius quam severitati, prudentiae et consilio Poenorum ducis fictum est, sacrorum, quae Troes Scamandro faciunt (Φ, 131 sq.) mentione motus forte poeta posuit. Contra minas Scipionis, se Trebiam in parvulos rivos dissecturum fontesque eius obstructurum esse (vs. 642 sqq.) facillime et optime ex Herodoti narratione (I, 189 cf. 202 et V, 52), quo-

1) cf. Stat. Theb. IX, 303 sq. ‚tela natantia raptans ingerit' (sc. Hippomedon in flumine).

modo Cyrus Babylonem petens Gynden fluvium, cum unum ex equis albis sacratis, qui lasciviens in aquam incurrerat, fluctibus abstulisset, in trecentos sexaginta parvos canales diviserit, derivabimus, quam narrationem poetis Latinis non ignotam fuisse intellegimus ex panegyrico illo in Messalam scripto (Tibull. IV, 1), ubi vs. 141 legitur ,rapidus, Cyri dementia, Gyndes'. Accedit, quod Herodotus fabulis historiae suae insertis imitationi poeticae materiam quam maximam praebuit, velut Lucanus de Nili fontibus exponens X, 219 sqq. sine dubio nonnulla ex eiusdem scriptoris libro II, c. 20 sqq. hausit.

Sic descriptione dispertita et comparatione *μάχης παραποταμίου* instituta apparet Scipionem pugnae participem nil esse nisi figmentum poeticum Trebia tunc temporis tumefacto excitatum, quo, siquidem est ars critica, nil historici contineri iudicabimus. Quin etiam mirari licet poetam usque adeo historiae vestigia sequi, ut Scipionem ad Ticinum sauciatum exemplo Livii XXI, 48 § 7 et 53 § 6 adhuc vulnere aegrum (vs. 622 sq.) nec per numen Romanis amicum mirabili modo sanatum faciat.[1]) Sed forte ei indignum visum est, si Scipio viribus integris parvi fluvii irae cessisset. Praeterea etiam Achilles in Scamandro vulneratus est (*Φ*, 166 sq.). Harum rerum omnium Heynacherus (diss. p. 27, 16c. et progr. p. 23, 15b) omnino rationem non habuit, sed tamquam in historico tractando versaretur, indicare sat habuit, quod Scipio apud Silium partes in pugna apud Trebiam commissa susciperet, hoc a Livii narratione abhorrere; quin immo praeiudicatae suae opinionis gratia Livium tumorem Trebiae non commemorare, at Appianum Hannib. c. 7. contendere ausus est. Attamen ut Polybius (III, 72 § 4) *τοῦ Τρεβία ποταμοῦ . . . προσαναβεβηκότος τῷ ῥεύματι διὰ τὸν ἐν τῇ νυκτὶ γενόμενον ἐν τοῖς ὑπὲρ τὰ*

1) Ita Juno I, 548 sqq. accurrit, ut Hannibalem saucium tueatur. Et in libro quinto inveniemus medicum Carthaginiensem tam celeriter Magoni modo morti vicino magicis remediis sanitatem reddere, ut continuo post in pugnam reverti possit.

στρατόπεδα τόποις ὄμβρον, ita Livius diserte dixit (XXI, c. 54 § 9) ,et erat pectoribus tenus (aqua), aucta nocturno imbri'; et Rupertius fusam de hac re adnotationem versui 573 ascripsit. Deinde etiamsi Appianus ,Das Eingreifen Scipios' — cf. Heyn. diss. p. 29 progr. p. 24 — tangit, verba tamen eius *Σκιπίων δὲ αὐτοῖς ἑπόμενος καὶ παρακαλῶν ὀλίγον μὲν ἐδέησε τρωθεὶς διαφθαρῆναι* plus quam in una re obscura sunt. Ante omnia *τρωθεὶς* et ,cum vulneratus esset' et ,cum vulneraretur' valet. Hoc si sumimus — et Appianus Scipionem ad Ticinum vulneratum esse antea non narraverat — certe non eodem quo Silius fonte nititur; sin autem illud ponimus, habemus imperatorem, qui exercitum praecipiti fuga discedentem ob vulnus aegre sequitur et aut a militibus suis auxilium petit aut, ut consistant, eos hortatur — utraque enim vis verbo *παρακαλεῖν* inest — itaque speciem a Siliana diversissimam. Sed etiam Cosackius quaest. Sil. p. 31 his de loco nostro agit ,Noli tamen censere suum solum arbitrium secutum esse poetam, ne plane a pugna suorumque periculo remotus videretur dux fortissimus' et ad Cornelii Nepotis Hann. (XXIII.) c. 4 § 2 ,Tertio idem Scipio cum collega Tiberio Longo apud Trebiam adversus eum venit. Cum his manum conseruit, utrosque profligavit' nos reicit. Sed minime poetam hunc locum debuisse respicere, ut de Scipione ad Trebiam pugnantibus inserendo cogitaret, persuasum habeo, praesertim cum et verba, quae Polybius III, c. 68 § 6 de Scipione facit *ἐθεράπευε δ' αὐτὸν ἐπιμελῶς σπουδάζων, εἰ δύναιτο κοινωνῆσαι τοῦ μέλλοντος κινδύνου* poetam, ut hoc consilium re vera effectum caneret, instigare potuerint. Praeterea Nepotis dictio tam angusta est, ut vix pro certo affirmare liceat eum a vulgata memoria, secundum quam Scipio ipse pugnae non interfuit, recedere. Illud ,utrosque' potius indicat scriptorem magis de exercitibus quam de ducibus loqui, licet hic pluralis interdum ad duas singulas personas designandas usurpetur.[1]) Et in hac re prorsus missam

---

1) cf. Nipperdey ad Nep. Timol. (XX), 2 § 2.

facio levitatem Nepotis,[1]) qui in ipsa vita Hannibalis plura peccavit.[2]) Postremo de nominibus a Scipione interfectorum haec adnotabo: Mazaeus (vs. 627) a duce Carthaginiensium apud Justinum XVIII, c. 7 § 1 memorato[3]) nomen accepit. Gestar (ib.) intercedente Ruehlii professoris excellentis benignitate a Roedigero rerum orientalium peritissimo verisimilem esse contractionem vocis, quae est נרעשתרת Gerastaroth (*Γεράστρατος*)[4]) et hospitem sive amicum Astartes significat (cf. Levy ‚phönikisches Wörterbuch.' Vratisl. 1864 p. 15), comperi eique sententiae P. de Lagarde, quem idem Ruehlius mea causa litteris adiit, astipulatus est, quamvis ‚bodostor' ex aliis vocalibus constare inculcet. Nomen quidem alibi a me inveniri non potuit, sed Silio notum fuisse nomen Punicum debet. Nam ter eo usus est ad diversas personas significandas,[5]) cum praeter

1) cf. Nipperd. prooem. p. XXXI.

2) Sic c. 5, § 1 sqq. Hannibalem a Fabio dictatore obsessum post pugnam Cannensem demum narrationi iniunxit; et c. 6 § 1 Scipionem Africanum maiorem cum patre confudit.

3) Quamvis enim libri manuscripti in hoc nomine tradendo varient, tamen hanc esse rectam scripturam apparet ex Orosii IV c. 6, ubi Justinum excerpsit et codices, quibus Fabricius usus est, in ‚Mazeum' consentiunt, et e Curtio, a quo Mazaeus (= *Μαζαῖος* ap. Arr. anab. III, 16 § 4 saep.), Darii Codomanni magister equitum, qui Alexandro se dedidit et ab eo Babyloniae satrapia donatus est, IV, 9 § 7. V, 1 § 17 et 44 commemoratur. cf. A. de Gutschmid ‚Ueber die Fragmente des Trogus' (= ann. Fleckeis. supplem. II. 1856/57) p. 219 adnot. 60 et Ruehl ‚Die Textesquellen des Justinus' (= ann. Fleckeis. supplem. VI. 1872/73) p. 113 adnot. 1. Certe Silium in sua Pompei Trogi (quem a poeta lectum esse infra demonstrabo) editione hanc formam reperisse concludere licet.

4) Est nomen iudicis Tyriorum, quod ex Menandro Ephesio refertur a Josepho contra Apion. I, 21. P. de Lagarde ‚Gesammelte Abhandlungen' Lips. 1866 p. 255 extr. *Γαιράσταρτος* utique scribendum esse docet.

5) Nisi forte nostrum et senatorem libro IIo iniunctum eundem esse voluit; cum imperatori Carthaginiensium numerus gerusiastarum, e quibus legatos eligeret, addi soleret. cf. Mommsen. hist. Rom. I^6, p. 495.

hunc locum II, 327 senatorem Carthaginiensem, qui Hannibalis partibus favet, et XII, 262 militem, qui dum Hannibalem protegit, a Marcello in pugna Nolana occiditur, tali nomine affecerit; ut minime sit veri simile Silium senatorem illum, quod Kortuem. (gesch. Forschung. p. 239) et Heynacherus (diss. et progr. p. 17) putaverunt, ex antiquis fontibus hausisse. Thelgonem (vs. 628),[1]) quidquid quaesivi, alibi indagare mihi non contigit; sed forte a participio praesentis verbi Graeci, quod est *θέλγειν* deducendum est, cuius rei Ruehlius, in origine huius et Gestaris nominum invenienda studiosissimus mihi adiutor, primus me admonuit. Nec paucis profecto haec coniectura commendatur. Sicut enim apud Homerum Mercurius *ἀνδρῶν ὄμματα θέλγει* (ε, 47, ω, 3. Ω, 343.), ita apud Silium Afri cum alibi tum I, 412 et V, 354 ob sopiendi serpentes artem celebrantur. Appellativi Graeci autem a poetis in nomen proprium conversi infra etiam plura exempla afferam (p. 99), ut omittam Thelgonem Cyrenaeum repraesentari (cf. supra p. 11) Thapsus (vs. 635) denique ab urbe Africae Pompeianorum anni a. Chr. n. 46i. clade nobilitata derivatum est.

IV, 722—738.

Trasumennus Hannibali somnianti apparet.

Tertium, quod e libro quarto historiae contrarium et commento poetico natum praesumere debemus, adhortatio Junonis est (vss. 722—738), qua, specie Trasumenni induta, Hannibali in somniis assistit utque castra moveat, stimulat et magnam ad lacus sui ripas eum reportaturum esse victoriam pollicetur. Ut apud Vergilium noctu Tiberinus inter populos frondosas fluctibus emergit (VIII, 31 sqq.) et spe honorum, quos victor sibi tributurus sit (vs. 61 sq.), capitisque orbis terrarum ripam suam aliquando decoraturi (vs. 65) Aeneae suadet, ut cum Euandro Palatinum incolente

1) Cum aspiratione manu scriptorum, quos Blassius mea gratia consuluit, hoc nomen scribunt L.³O; sine ea F.V.

foedus icat, ita hic Juno, corona populea crines cincta (vs. 726 sq.) accedit et a Poeno exercitum Romanum ad internecionem redacturo similia ornamenta exspectat (vs. 736). Videmus igitur poetam, ne deum ex machina omitteret, veras rerum gestarum causas consulto postposuisse et obscurasse, velut si Hannibal non Celtis inquietis fines sociorum, quos a iugo dominationis Romanae liberaturum se esse promiserat, tunc autem ipse exercitu suo premebat, relinquere coactus esset[1]), velut si ille non suo ipsius animo impigro gloriaeque cupido et toto consilio, quo in Italiam venerat, ut quam celerrime in intimas imperii Romani sedes penetraret, impulsus esset[2]), velut si denique, postquam Etruriam invasit, non sine ope divina suo ipsius acri et rei militaris perito ingenio locum pugnae aptum cognoscere potuisset[3]).

IV, 763—822.

Mors Hannibalis filio destinata.

Quarto loco digressio subiungenda est, qua versus 763—822 implentur. Silius enim Hannibalis filium postquam III, 63 sqq. lectorum mentibus semel obtrusit, cum tantas in eo spes patrem posuisse dixisset, ut quamvis infantis os sibi suae ipsius virtutis imaginem ac manifesta futurae ferociae indicia reddere putaret, in posterioribus carminis partibus non bene silentio praeteriisset. Itaque cum invidia adversarum partium, quae omnibus modis Hannibalis gloriam detrectare studuerunt, nota esset[4]), apte in cogitationem incidit, qua Hannonem, veterem Hannibalis

---

1) cf. Polyb. III, c. 78, § 5. Liv. XXII, 1, § 1—4.

2) cf. Liv. XXI, 58, § 1 XXII, 2, § 1 et 2.

3) cf. Polyb. III, 82, § 11. Liv. XXII, c. 4, § 2 sq.

4) cf. Sil. II, 276 sq. IV, 771. Liv. XXI, 2 § 4 et 3, § 3. Nep. Hann. (XXIII.) 1, § 2. ‚Quod nisi domi civium suorum invidia debilitatus esset (sc. Hannibal), Romanos videtur superare potuisse. Sed multorum obtrectatio devicit unius virtutem.'

inimicum, ut impubes imperatoris filius Molocho[1]) sacrificaretur, postulantem faceret (vs. 770 sq.). Hoc autem si posuisset, potentiam et auctoritatem Hannibalis (vs. 772 sq.) et quae non dubium erat, quin erupturae fuissent, lacrimas querelasque uxoris iniustum hunc cultum spernentis, malam gratiam, quae coniugi de patria optime merito persolvatur, incusantis denique se ipsam pro puerulo laete necem passuram esse profitentis (vs. 774—802) non nullius momenti ad factum tam crudele reprimendum futura fuisse recte sensit. Quam ob rem legationem in Italiam ad castra Punica missam esse finxit (vs. 763), quae patri iudicium de sorte filii faciendum committeret (vs. 803—805). Is autem, etiamsi deos quam maxime venerabatur[2]), praesertim cum animo iam praeciperet, quanta et egregia facinora filius aliquando ad potentiam Carthaginiensium augendam esset editurus, fieri non potuit, ut prolem talibus exspectationibus dignam proiceret; sed immenso hostium occidendorum numero recusationem expiaturum se esse pollicitus est (vss. 808—822), et sic simul tot homines pugna ad Trasumennum facta trucidati magis poetice quasi sacrum diis votum repraesentantur. Quodsi Wezelius De C. Sil. It. cum font. tum exempl. p. 20 in nullo fontium a Silio adhibitorum ullum apparere vestigium, quod ad morem illum Punicum homines diis mactandi referri possit, praeter versum ‚Poeni suos soliti dis sacrificare puellos' Ennii (ann. VIII, 278 Vahl.) contendit, quem ideo eandem ac Silium narrationem de legatis ad Hannibalem missis annalibus suis intexuisse veri simile esse autumat, et Heynacherus (progr. p. 25, 2 cf. p. 68) hanc coniecturam avide arripuit, in merum errorem illapsi sunt. Praeter enim locos auctorum Graecorum velut Diod. XX, 14, 4 sqq.[3]) immanem illam Carthaginiensium consuetudinem commemorat et Darium eam vetuisse narrat Justinus

1) cf. de hac re Duncker Gesch. d. Alterthums I³, p. 351.

2) Ceterum hanc Hannibalis pietatem Silius I, 58 negaverat.

3) Loco eorum, qui caedi destinati erant, interdum alios pueros subditos esse, referunt Diod. ib. et Sil. XV, 464 sq.

XVIII, 6 § 12[1]) et XIX, 1 § 10[2]). Et Silium Trogi, a cuius morte ipsius natales haud multo spatio aberant, Philippicas manibus versasse non modo paulo ante (p. 31 adnot. 3) memini esse veri simile, sed etiam infra luculentiore exemplo illustrabo. Tum Curtius IV, 3 § 23 Saturno nobiles pueros sacrificare Carthaginiensibus usque ad deletam urbem in usu fuisse adnotat et Plinius N. H. XXXVI. c. 5 § 39 statuae Herculis mentionem facit, ,ad quem Poeni omnibus annis humanâ sacrificaverant victimâ.' Quod deinde Ennii versum attinet, nullo modo ex eo elici potest, num ad talem, qualem apud Silium legimus, narrationem pertinuerit, an mos obiter tantum tactus sit. Denique ne de ritu quidem horum sacrorum Silium accuratius quicquam quam alios fontes ex antiquitate nobis servatos compertum habuisse concludi licet. Nam falsi sunt Gesenius (Ersch. et Grub. Encyclop. sect. I, tom. 21, p. 100 adnot. 48) et Movers (ib. sect. III, tom. 24, p. 420 adn. 92), cum e versu 768[3]) ,Urna reducebat miserandos annua casus' eruerent, sorte de infantibus victimandis decretum esse. Verba potius ad suffragia spectant, quibus cuius nece dii placandi essent, significabatur, et nil aliud valent quam Diodoreum ,προκρίναντες ἔθυσαν' (l. c. § 5). Alioquin Hannoni fiducia deesse debuit ipsam Hannibalis filii sortem esse exituram.

V. 7—23.

De origine Trasumenni lacus nominis.

E libro quinto rursus quattuor partes indicabo, quae

1) cf. Oros. IV, 6, p. 225 Haverc. ,cum inter cetera mala etiam pestilentia laborarent' (sc. Carthaginienses), ,homicidiis pro remediis usi sunt; quippe homines ut victimas immolabant aetatemque impuberem . . . aris admovebant' et IV, 21, p. 278 Haverc. ,Carthaginiensibus aliquando visum est homines immolare'.

2) cf. Blass. ann. Fleckeis. 1874 p. 508, ubi praeterea laudat Diod. XIII, 86. XX, 65 et, ut Baehrensius, quem exempla apud prosae scriptores obvia fugisse videntur, Bursian. relationn. ann. I, 1873 p. 216, Dracontii versus V, 148 sqq. Duhn.

3) Uterque in numero afferendo errant, cum ille ad Sil. IV, 77, hic ad Sil. IV, 771 provocet.

ob totum suum habitum historico, qui Silio operam dat, iam ab initio removendae sunt. Prima earum (vss. 7—23), quomodo Trasumennus a nympha amatrice raptus causa factus sit, cur lacui Etruriae Trasumenni nomen inderetur, tractatur. Hanc esse fabulam nemo non intellegit. Quaeritur hoc tantum, utrum Silii temporibus nota ac pervulgata fuerit, an inventioni poetae debeatur, utrum personae, quae in ea agentes inducuntur iam ab aliis traditae fuerint, an, ut Lehrsii verbis utar,[1] ,den zugeschaffenen idealen Schutzgottheiten und Eponymen von Ländern, Städten, Zünften, die in die alte mythische Zeit hineinversetzt und eingeordnet wurden' accentendae sint. Et ut pro illo nil, sic pro hoc omnia faciunt. Olim enim, Silius narrat, partem Etruriae rexisse Arnum[2]) filium Fauni (vss. 7 et 8) — hic heros a nomine fluminum Tuscorum maximi, qui ut poetae cogitationibus incideret, certe scriptis fontibus non opus erat, facile derivabatur. Eo regnante Tyrrhenum orae appulisse, qui ex errore inde ab Herodoti[3]) tempore inveterato[4]) Lydorum coloniam in Italiam deduxisse creditus h. l., cum populo cognomini ea inventio vulgo attribueretur,[5]) etiam tubae repertor fuisse traditur. Filium eius Trasumennum pulchrum fuisse — quod nimirum nomen ipse lacus a Silio descriptus suggessit — eumque in undas detractum esse ab Agylle nympha — quam personam a vetere Caeritum urbis appellatione[6]) desumpsit. Itaque haec omnia lusum esse poeticum, quem Silius a Tyrrheni persona mythologis trita quasi fundamento exorsus, ut ingenio suo indulgeret lectoribusque oblectamentum praeberet, inseruerit, existimabimus,

---

1) populär. Aufs.² p. 324.

2) cf. Blass. ann. Fleckeis. suppl. VIII, p. 203.

3) I, 94.

4) cf. e. g. Timaeus ap. Tertull. de spect. c. 5. Strab. V, 2. § 2 = p. 219. Cas.; Dionys. Hal. I, 27. Vellej. I, 1, 4. Iust. XX, 1, § 7. (Tac. ann. IV, 55) et vd. Mommsen. hist. Rom. I⁶, 120 sq.

5) vd. commentatores ad Sil. II, 19 et V, 12.

6) Strab. V, 2, § 3 = p. 220 Cas. Ἄγυλλα γὰρ ὠνομάζετο τὸ πρότερον ἡ νῦν Καιρέα. cf. et alii et Mommsen. hist. Rom. I⁶, p. 127.

cum praesertim inter legendum statim animis recurrat Hylas ille Herculis comes, cuius sortem[1]) poeta videtur recordatus esse.

V, 344--375.

Mago, quem Hannibal comitatur, vulneratus in castra se recipit et sanatur.

Sed ad secundam et tertiam partem me vertor, ac primum quidem ad versus 344—375. Quos Vergilii imitatione expressos esse plus quam ante hos centum annos viris doctis iam exploratum erat. Attamen Rupertius numerum non recte indicavit, cum Aen. X, 383—424 pro XII scriberet. Ut enim illic Aenean vulneratum filius et socii fideles e pugna in castra prosequuntur (vss. 384. 385), ita hic Hannibal Magonem fratrem (350 sq.); ut illic Japyx vetus medicus sanando opem fert (vs. 391), ita hic Synhalus grandaevus advocatur (vs. 352); et ut ille artem suam Apollinis dono accepit (vs. 392 sqq.), sic atavum huius Ammon, deus Libycus, medicinam docuit, cuius peritiam a patre semper filio hereditatis modo traditam proprio studio auxit (vs. 357 sqq.). Artem ferri incantationibus e saucii corpore trahendi, serpentes sollerter tractando et mulcendo leniendas,[2]) succinctas medici vestes, omnia haec partim ab Homero partim a Vergilio poeta mutuatus est. Singula praeterea ad imaginem quasi pertexendam adiecit ut Hannibalem sollicite de genere vulneris sciscitantem (vs. 345 sqq.) et verba, quibus Mago eum consolatur (vs. 369) dicens optimum sibi esse remedium, quod hoste interfecto gloriari possit, et hoc pretio, si fatis destinatum sit, et ipsum ad mortem paratum esse. Ut autem aliis epicis proprii cuique medici erant, qui heroas aegros e pugna relatos sanarent, Homero Machaon, Vergilio Japyx, Statio Idmon, qui in aula Adrasti Tydeo saucio medetur (Theb. III, 398.), ita idem hoc ius sibi Silius vindicavit,

1) cf. Val. Flacc. III, 485 sqq.

2) cf. imprimis Drakenborch ad h. l. et III, 302. Rupert. ad I, 412.

praesertim cum Afro opus esset. Ad cuius partes suscipiendas elegit nomen ducis Carthaginiensis ex rerum a Dione gestarum memoria notum.[1])

V, 530—583.
Hannibal et Mago in pugnam redeunt.

Necessarium parti modo tractatae complementum efficiunt versus 530–583. Ut enim Aeneas paulo post vulnus curatum rursus acriter in proelium ruit,[2]) ita apud Silium ambo fratres Punici, Hannibal et Mago iam e castris redeunt animis ardentibus ac temporis otio amissi duplicata caede compensandi avidis (530—534.), et immanis pulveris nubes ante eos volvitur (535—539). Ac primum quidem ex acie Romana cadunt: Fontanus Fregellanus (540. 542.), quod nomen idylliorum poetae ab Ovidio commemorato erat[3]) et in titulis c. i. L. II, 1469 et 3879 occurrit, ‚Quellmann' nostra lingua reddi licet et propterea forte electum est, quod Fregellae prope Lirim superiorem sitae erant. Quam arte autem urbs et fluvius in hominum cogitationibus connexa fuerint non modo ex Strabone apparet, qui ubique Fregellas Lirimque coniunctim affert,[4]) sed etiam ex Flori verbis (I, 13 § 24 Halm) ‚Lirim Fregellasque populatus' (sc. Pyrrhus). Sequitur Buta Anagninus (vs. 540. 543). Hoc nil aliud est nisi nomen Graecum Butes[5]) terminatione tantum cum

1) Plut. Dion. c. 25 *ὁ Καρχηδόνιος ἄρχων Σίναλος . . ξένος ὢν καὶ φίλος Δίωνος* cf. ib. 26 init. 29 extr.

2) Verg. Aen. XII. 429 sqq.

3) cf. Teuffel hist. litt. Rom. nr. 29, 2 et 252, 15.

4) Strab. V, 3 § 6 = p. 233 *Λεῖρις . . φέρεται . . παρὰ Φρεγέλλας κώμην* ib. § 10 = p. 237 *Φρεγέλλαι, παρ' ἣν ὁ Λεῖρις ῥεῖ,* ib. p. 238 *Σαῦρα, παρ' ἣν ὁ Λεῖρις παρεξιὼν εἰς Φρεγέλλας ῥεῖ.*

5) *Βούτης* inter Argonautas refertur ab Apollodoro bibl. I. 9 § 16 cf. Val. Flacc. I, 394. Praeterea heros Atheniensis erat huius nominis, cui ara in templo Athenae Poliados sacrata erat, auctor gentis sacerdotum Butadarum s. Eteobutadarum (cf. Boeckh. ad c. i. G. I, 468 et 666, lin. 3. Heyne observat. ad Apollod. 1803 p. 332), quorum stemma in templo pictum fuisse memorat Paus. I, 26, 6. ‚Buten' etiam dixit Stat. Theb. VIII, 485.

Latina mutata, ut e. g. Philocteta quoque saepius dicebatur, non Philoctetes[1]) nec nisi hac re discrepat a nomine viri Verg. Aen. IX, 647 commemorati. Hunc enim locum poetam in elaboranda, de qua disputamus, parte respexisse itaque coniecturam, qua quidam ‚Bucam' pro ‚Buta' scribendum suadebant, supervacaneam[2]) esse verisimile fiet, si hoc nobiscum reputabimus: Butes a Vergilio vir vetus et armiger Anchisis inducitur et ab Aenea Ascanio comes additus est. Ad hoc exemplum Silius sine dubio versus V, 573 sq. concinnavit, quibus vetus Hannibalis armiger, quem iam a patre accepit, repraesentatur. Hinc poetae veterani cuiusdam e primi belli Punici tempore arcessendi occasio data erat, quo simul descriptio, quae ceterum unius fere generis et languida est, variatur (vs. 565 sqq.). Eum armiger ille fieri non potuit, quin e proeliis ab Hamilcare in Sicilia factis nosceret Hannibalique monstraret. Nomen quidem armigeri in nostro libro Silius non apposuit, at demum X, 134: Abaris est. Homo cognominis licet in Aeneide (IX, 344) inter custodes dormientes, quos Euryalus necat, itaque inter Turni copias referatur, tamen de eo Silium h. l. cogitasse vix crediderim; nec ei ob oculos versatum esse verisimile est Abarim fabulatorem illum Hyperboraeum, cuius mentionem fecit O. Muellerus hist. litt. Graec. I, 421 sq. Contra exemplum fuisse putem Abarim, quem Ovidius Met. V, 86 Phineo, fratri Cephei, Aethiopum regis, de Andromeda cum Perseo certanti socium fecit. Quid enim proclivius fuit quam a bellatore Aethiopico communi figura hominis Africani abstracta Poenum facere? Ac ne hac quidem deliberatione opus erat, cum secundum III, 265 etiam Aethiopes in exercitu Hannibalis militent. Sed redeo ad Romanos in ripa Trasumenni caesos, quorum supra nominatis adiungitur Laevinus (vs. 544). Hoc nomine praediti

1) cf. Neue Lat. Formenlehre I. p. 36 sqq.

2) Et eo magis, quod ‚Buta' ap. Senec. ep. XX, 5 (= 122) § 10, cognomen Acilii est.

erant et consul anno 280 a Pyrrho ad Heracleam devictus[1]) et praetor, qui, ne Philippus V Macedonum rex copias cum Hannibale coniungeret, sollertia sua impedivit.[2]) Ex Horatio quoque (sat. I, 6, 12 et 19) notum est; obque eam rem verbum nil amplius addendum. Mirari tantum licet, quod Heynacherus, cum Corvini in vs. huius libri 77i mentione facta offensus Silium saepius studium celebrandis Valeriis impendisse itaque panegyrico eius gentis, Valerii Antiatis annalibus, usum videri adnotaret (progr. p. 26, 6), e hoc nomine non argumentum hauserit[3]). Nam Laevinus cognomen gentis Valeriae est et Horatius Laevinum eum, quem l. l. memoriae prodidit, ‚Valeri genus, unde superbus Tarquinius regno pulsus fugit' appellat. Porro honos Hannibalis manu cadendi Viriasio tribuitur, Sidicino forti et omnium belli artium gnaro, qui, quo numero epici delectati esse videntur,[4]) ‚mille viros' ducit (vs. 551 sqq.). Hanc nominis formam, quam Coloniensis recte tradidit, editores vero e contextu eiecere, Jordanus praeceptor clarissimus, cuius incitamento, quod in universum de nominibus Silianis diligentius quaesivi, num ex iis aliquid ad annales nobis ignotos spectans eluceret, debeo gratiasque habeo quam maximas, Oscam me esse docuit.[5]) Silium vero, quem diutius in Campania versatum esse Plinius (ep. III, 7) testis est, interdum ibi tale nomen audisse existimem, praesertim cum apud Tacitum etiam haud pauca in — sius mittentia repe-

1) cf. e. g. Flor. I, 13 § 7. Just. XVIII, 1 § 4. Eutrop. II, 11 § 2 Droysen.

2) cf. Liv. XXVI, c. 22, § 12; c. 24 sqq. Eutrop. III, 12 § 4. Dr.

3) An fecit forte, quia Messala ‚prohibuit inseri genti suae Laevinorum alienam imaginem' (Plin. N. H. XXXV. 2, 8)? an, quia Laevinus non sat magnam laudem apud Silium consecutus videbatur?

4) Idem versus initium ‚mille viros' (v. 552.) invenitur ap. Verg. Aen. VII, 653 et XI, 61 cf. etiam. Verg. Aen. X, 178, Sil. III, 292 XIV, 209, 259 sq.

5) cf. Jordan Krit. Beitr. z. Gesch. d. lat. Sprache 1879, p. 113, 115, 124 (p. 124 ‚das Ergebniss dieser Untersuchung also ist, dass die lateinischen Namen auf — sius, welche sich in Rom finden, auf ausserrömische, mittel- und süditalische Herkunft ihrer Träger zurückweisen'.)

riantur velut praeter Calvisios et Numisios, quorum nominum complura exempla iam Jordanus (loco p. 40 adnot. 5 citato, p. 111 sq.) congessit, Curtisius — sic enim traditum est — qui servorum tumultum in Italia excitavit (ann. IV, 27).[1]) Et ita cetera nomina, quorum omnia ad huius disputationis fines pertinentia, sicut antea iam feci, afferam, ubi fieri potuit, quid significent vel unde mihi desumpta videantur, adiciens, parce, ubi mutatio necessaria erat, pace lectoris benevoli meas coniecturas proponens, aut nobis aliunde nota esse aut poetao fuisse demonstraturum me spero. Denique iam mortuis Romanis militibus adduntur: Fadus (vs. 565), eodem nomine cum Turni custode, qui ob nimia vini pocula ducta somno obmersus est (Verg. Aen. XI, 344), affectus, Labicus (ib.), quod incolam Labici oppidi sub monte Albano inter Tibur et Praeneste siti innuit, et postremo Herminius (vs. 580), qui, ut patrem senem aleret, pisces e lacu Trasumenno captare solebat et Aeneae socio a Catillo Tiburtino occiso (Verg. Aen. IX, 642) cognominis est. Contra e Carthaginiensium partibus hi duo pugnae imagini agentes inseruntur: 1. Ithemon,[2]) dux Autololum Afrorum (vs. 546), cui Laevinus spolia detracturus est. Quod nomen, cum alibi nusquam invenerim, cum Ethemone mutandum esse conieci, quia hic apud Ovid. Met. V, 163 et 169 et ipse inter pugnatores Phinei illius (cf. supra p. 39) nominatur. 2. dux quidam copiarum Hispanicarum Viriasium fugiens, qui vs. 557 huius libri et III, 403 in Coloniensi codici ‚Arauricus' vocatur consentientibus, ut videtur, Blassii manu scriptis melioribus, nisi quod optimus eorum, qui aetatem tulerunt, L[3] loco posterius citato ‚aranticus' exhibet, cum deteriores libri, e quibus ‚Aranticus, Aranthicus, Avaricus, Aurarieus, Araucus' ab editoribus proferuntur, mul-

---

1) Ipsum Viriasii nomen in inscriptione invenitur ap. Fabrettium (Corp. inscr. Ital. 656, 482), quem laudat Nipperdey ad Tac. ann. IV, 28.

2) ‚ithemon' Col. secundum Heinsii testimonium, ‚irhemon' L[3] ‚yrchemon' F, ‚yrhemon' OV.

tum varient. Sed utut est, ne optimorum quidem codicum auctoritas mendo videtur libera. Neque enim ea, quam tradunt, forma ab Araurio, Galliae flumine, ut N. Heinsius voluit, derivari potest, quod, quid ei et Hispano, de quo h. l. agitur, commune sit, minime apparet. Itaque ut Arauacus scribatur, propono. Ἀραυάκαι enim apud Polybium (XXXV, c. 2 § 4, 9, 13 et c. 3 § 3, 4). Celtiberorum populus[1]) audiunt, neque coniectura a litteris traditis procul recedit.[2])

V, 666—676.

Hannibal et Mago pugnae campum perlustrantes.

Denique ad partes, quas aut ingenio poetae procusas aut ex alia rerum cohaerentia historiae belli Punici secundi illatas esse in aprico est, pertinet, quod Silius narrat Hannibalem cum Magone fratre sub noctem per pugnae campum ivisse et hostes omnes adversis vulneribus transfixos, ora Romanorum quamquam morte pallida, tamen etiamtum trucem ferociam servantia, manus cadaverum etiam mortuas arma vivis amata amplectentes miratum esse, quo aspectu adductus populo talium virorum in fatis imperium orbis terrarum destinatum esse sibi persuaserit (vss. 666—676). Hic quis est, qui non videat imitatione expressisse poetam fabulam illam clarissimam, qua Pyrrhus rex cum post pugnam ad Heracleam commissam hostes caesos perlustraret, habitu vultuque eorum obstupefactus exclamasse dicitur:

---

1) Eorum erat Numantia urbs. Ἀρουάκοι appellantur Strab. III, 4 § 13. = p. 162 Cas. Ἀρουακοί Diod. XXXI, 42. Appian. Iber. c. 45; 46; 50. Ἀρεουάκαι Ptolem. II, 6 § 56.

2) Qui hanc meam emendationem probant facere quidem non possunt, quin concedant Silium tum diversis modo nominibus usum eidem genti duplicem in catalogo Hannibalis copiarum locum tribuisse vel rectius ducem a popularibus suis secrevisse, cum III, 362 ,Arbacus' exstet, quod idem esse cum Arauacis ex Aurelio Victore (de vir. ill. c. 61) apparet. Sed etiam Carteiam et Tartesson poeta separavit (ib. 396, 399), quamquam Plin. N. H. III c. 1 § 7 ,Carteia, Tartessos a Graecis dicta' dicit.

His militibus orbem terrarum mihi subigerem.[1]) Eam Livium narrasse ex his epitomes libri XIIIi. perditi verbis quamvis exilibus manifestum est ‚post id proelium (sc. Heracleoticum) cum corpora Romanorum, qui in acie ceciderant, Pyrrhus inspiceret, omnia versa in hostem invenit'. Quibus vero coloribus rem depinxerit, e Floro (I, c. 13 § 17 sq. H.) conicere licet, qui in ipsis fere verbis cum Silio congruit et iam recte a Dausqueio editore comparatus est. Huic loco cum Rupertius recte adderet Eutrop. II, 6 (= II, 11 § 3 Droys.) nec indigni erant, qui laudarentur, Aurelius Victor de vir. illustr. c. 35 § 4 et Cassius Dio, cuius de hac re relationem duo Constantini imperatoris et alius breviatoris excerpta (frgm. 40 § 19 et 20 ap. Dind.) et Zonarae epitoma (VIII, 3) nobis servaverunt. Ceterum poeta ad accersendam hanc fabulam moveri potuit Livii narratione, qui dicit (XXII, c. 7 § 5) Hannibalem Flaminii corpus inter caesos, ut sepeliret, frustra quaesivisse.

Nunc ad alteram propositi partem transiens eos Silii librorum tertii, quarti, quinti locos aggrediar, quibus res belli Punici secundi inter Saguntum captum et cladem Romanis ad Trasumennum illatam incidentes et vere historicae continentur. Attamen statim ab initio moneam his quoque multas res poeticas et fabulosas immixtas esse, quas ob nullam aliam causam non iam in priore disputationis parte eieci, quam quod partim ob artum cum rebus vere gestis connexum vel ob veritatis quidem speciem non aeque facile ac modo tractata loco suo moveri poterant, partim brevia et quasi in transcursu aspersa sunt.

.III, 1—4. 14—60.

Hannibal Gadibus versatur.

Itaque ut ad res ipsas perveniamus, primum in libro tertio Silius Hannibalem post Saguntum deletum Gades

---

1) ‚Sollemne autem usurpare ad propositum poetis historias.' (Barth. ad Stat. Theb. II, 258.)

cognatas[1]) petivisse. Contra Polybius III, 33 § 5 Hannibalem per hiemem Carthagine Nova versatum esse dicit, Livius vero XXI, 21 §§ 1 et 9 utrumque referens primum eum Carthaginem Novam in hiberna et vere demum insequenti Gades se conferentem facit. Quae cum ita sint, Heynacherus (diss. p. 18 progr. p. 18) narrationem Silianam esse ‚eine bestimmte Differenz' putat, quae ex alio fonte quam ex Livii et Polybii historiis manaverit. At Silius contra quam scriptores illi faciunt minime de Hannibalis exercitu agit, potius omnia, quae Gadibus accidunt, non nisi ipsam Poenorum ducis personam spectant.[2]) Quidni igitur copias, cum imperator statim Gades adiret, Carthagine Nova hiemasse statuerit? Noluit certe iam huic loco Carthaginis Novae mentionem iniungere, quia partim, quae tam memorabilia de hac urbe quam de altera proferre posset, non habuit, partim, in qua regione illa sita esset, depingere[3]) ad expugnationis a Scipione factae tempus reservare in animo erat. Qua de causa tantum abest, ut poeta a Livio discrepet, ut eum potius ante oculos habuisse videatur. Id enim ex eo apparet, quod Polybius de Hannibale Gadibus morato prorsus tacet. Gadibus igitur Poenus Herculi dona[4]), quae ex Saguntinorum urbe iam flammis tradita cepit, dedicat (vs. 14—16) i. e. nil aliud facit quam quod Livius XXI,

---

1) Praeter locos a Rupertio laudatos cf. Justin. XLIV, 5 § 2 ‚Gaditani a Tyro, unde et Carthaginiensibus origo est'.

2) Sieglinius quidem diss. Lips. Die Chronol. d. Belag. v. Sagunt 1878. p. 33 ad versum III, 220 provocat, ut Hannibalem apud Silium cum toto exercitu Gades profectum esse demonstret, cum Livius XXI, c. 21, § 9 et c 22 § 5 — h. l. ‚exercitus' genetivum esse recte statuit adnot. 76 — de Hannibale solo locutus sit. Sed non secum reputavit maxime incertum esse, num versus ille adhuc ad Gades urbem referri posset, quia, quae ‚moenia' vs. 159 significentur, non clarum est. Quode infra dicam. p. 34.

3) cf. XV, 220 sqq.

4) Apud Justin. XVIII, 7 § 7 Carthalo Carthaginiensis revertitur ‚a Tyro, quo decimam Herculis ferre ex praeda Siciliensi . . . missus erat.'

21 § 9 ieiunis verbis dicit ‚Herculi vota exsolvit'. Et quam prope in praeda Saguntina commemoranda Silius ad Livium[1]) et Polybium[2]) cum illo consentientem accedat, inde elucet, quod secundum alios fontes nil plane ex urbe capta Hannibal lucratus est. Diodorus enim XXV, fragm. 15 (Dind.) tradit *ἀκερδῆ τὴν πόλιν παρέλαβε Ἀννίβας*, postquam in prioribus Saguntinos omne aurum cum aere et plumbo confudisse et inutile reddidisse narravit, sicut etiam Appianus fecit Iber. c. 12, ubi ea re magnam Hannibalis iram excitatam esse adicit. Sequitur inde a vs. 17 templi et cultus descriptio. De qua Rupertius dicit: ‚Locus noster classicus est de huius dei (Herculis) sacris, de quibus aliunde parum constat, et de templo.' Nec aliter Cosack p. 6 eam in numero earum rerum, quibus de antiquitatis institutis melius edoceri possimus, habet et Occionius l. l. p. 395 adnotat ‚Importanti ne (de templo Herculis Gaditano) sono i particolari racconti a questo luogo da Silio'. Sed iam contignationes lignorum, quibus inde a templo condito integre servatis numquam renovatione opus fuit, cum mirum quantum aeternis trabibus cedrinis templi Apollinei Uticensis[3]) similes sint, suspicionem movent. Dei autem cultus et sacerdotum caerimoniae, quae Silius versibus 21—31 describit, apertius religionis Aegyptiacae indicia prae se ferunt, quam ut eorum veritati possimus confidere. Quod etsi iam recte sensit Rupertius, tamen non omnes Herodoti locos, quos comparare utile est, ascripsit. Sunt autem haec praecipue Aegyptiorum moribus adaptata et cum Herodoto congruentia: ‚Tum, quis fas et honos adyti penetralia nosse, Femineos arcent gressus' est Herodoteum *ἱρᾶται γυνὴ μὲν οὐδεμία* (II, 35), si quidem ad mulieres a sacerdotiis excludendas poetam intendisse existimemus; ‚ac limine curant Saetigeros arcere sues = ‚*ὖν δὲ Αἰγύπτιοι μιαρὸν ἥγηνται θηρίον εἶναι* . .

---

1) cf. XXI, 15 § 1 et 2.

2) III, 17 § 10.

3) cf. Plin. N. H. XVI, c. 40, § 216 et Duncker Gesch des Alterth. I³, p. 516.

οἱ συβῶται . . . ἐςίρὸν οὐδὲν τῶν ἐν Αἰγύπτῳ ἐσέρχονται μοῦνοι πάντων . . . τοῖσι μέν νυν ἄλλοισι θεοῖσι (praeter Selenen et Dionyson) *θύειν ὗς οὐ δικαιεῦσι Αἰγύπτιοι* (Her. II. 47.); ,velantur corpora lino' = *ἐσθῆτα δὲ φορέουσιν οἱ ἱρέες λινέην μούνην* (ib. 37) et *οὐ μέντοι ἔς γε τὰ ἱρὰ ἐσφέρεται εἰρίνεα* sc. *εἵματα* (ib. 81); ,tonsae comae' = *Οἱ ἱρέες τῶν θεῶν ἐν Αἰγύπτῳ . . . ξυρεῦνται* (ib. 36). His mores Babyloniis acceptos et ritus quosdam Romanos interposuit. Nam sicut secundum vs. 30 sq. nullum simulacrum in templo Gaditano erat, sic Herodotus (I, 181) de templo summae turri Belo consecratae imposito dicit *ἄγαλμα δὲ οὐκ ἔνι οὐδὲν αὐτόθι ἐνιδρυμένον.*[1]) Caput splendipo lino velatum (vs. 25) respondet *μίτρῃ* Babyloniorum (Her. I, 195) et apici vel infulae pontificum Romanorum. Latum clavum (vs. 27) ex institutis Romanorum propriis huc videtur transtulisse, igni perpetuo (vs. 29) focum Vestae lectori in animum revocavit[2]) et quod ad feminas fanum intrare vetitas attinet — nam hac ampliore notione locutionem illam accipiendam esse veri simile est — Macrobius sat. I, 12 § 28 ,mulieres in Italia sacro Herculis non licet interesse'[3]) tradit. Sed res etiam intricatior fit Graecorum Hercule intermixto[4]), e cuius vita novem facta memoratu dignissima et incendium, quo heros se ipse in Oeta monte concremavit, poeta libero arbitrio elegit, ut argumenta imaginum in valvis templi exaratarum sibi pareret (vss.

---

1) cf. ib. I, 131 *ἀγάλματα μὲν (καὶ νηοὺς καὶ βωμοὺς) οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύεσθαι* (sc. *οἶδα τοὺς Πέρσας*). Silianum ,Sed nulla effigies' (vs. 30) alludit forte etiam ad Statianum — ,Nulla autem effigies, nulli commissa metallo Forma deae' (Theb. XII. 493 sq.).

2) Potuit etiam hic ante oculos versari ,vigil ignis', quem ap. Verg. Aen. IV, 200 Iarbas Afer Iovi sacraverat.

3) cf. Prop. IV, 9, 69 (= V, 9, 69 Lchm.), ubi Hercules dicit ,Haec (ara maxima) nullis umquam pateat veneranda puellis'.

4) Quam vero divulgata haec fuerit confusio, apparet ex Strab. III, c. 5, § 3 (= p. 169), ubi de templo Herculis Gaditani narrat *καὶ λέγουσι μὲν διέχειν τῆς πόλεως δώδεκα μίλια τὸ ἱερόν, ἴσον ποιοῦντες τὸν τῶν ἄθλων καὶ τὸν τῶν μιλίων ἀριθμόν.*

32—44), motus fortasse sculpturis eiusdem Herculis nobilissimas res gestas repraesentantibus, quas Olympiae Iovis templi foribus insculptas aut ipse viderat aut ab amicis ibi esse audiverat.[1]) Nam etiamsi portae descriptio non manifesta Vergilii[2]) imitatione expressa esset, iam sola ratio vix credibile esse evinceret Gadibus, ubi Melcartis dies festi etiam ‚mehr als tausend Jahre nach Stiftung der Stadt in althergebrachter und prächtiger Weise gefeiert wurden'[3]), fabulas Graecorum et Phoenicum hoc modo inter se coaluisse. Accedit, quod Appianus Iber. c. 2 extr. de delubro prope Herculis columnas sito agens desertis verbis asserit *καὶ θρησκεύονται νῦν ἔτι φοινικικῶς, ὅ τε θεὸς αὐτοῖς οὐχ ὁ Θηβαῖός ἐστιν, ἀλλ' ὁ Τυρίων.*[4]) Sic poeta, etiamsi singula quaedam recte dicta esse haud negaverim, diversissimas res in unum conglutinans doctum compilatorem quam vera perscrutatus historicum accuratum se gerere maluit. Verum enim vero omnia haec haud leviter infringerentur, si nonnulli Italicam, coloniam Romanam ad Baetim inferiorem sitam, Silii patriam fuisse iure contendissent. Sed haec opinio, quam etiam Kortuem (gesch. Forsch. p. 215) secutus est et Heynacherus (diss. p. 5, 3) repetiit[5]), nunc temporis a plerisque viris doctis cum ob alias causas reiecta est tum, quod Martialis Silium, quamquam compluribus epigrammatis eius laudes agit, nusquam in eadem ac se ipsum terra natum esse adumbrat.[6])

Sed Gadibus etiam aliud aliquid erat, quod ex mari

---

1) Recenset eas (non *τὰ δώδεκα ἔργα*, quae commemoraverat I, 27, 9) Pausanias V, 10, § 2.

2) Aen. VI, 20 sqq. Georg. III, 26 sqq.

3) cf. Duncker Gesch. d. Alterth. I[3] p. 512.

4) cf. Arrian. anab. II. 16 § 4 *'ὡς τὸν ἐν Ταρτησσῷ πρὸς Ἰβήρων τιμώμενον Ἡρακλέα ... δοκῶ ἐγὼ τὸν Τύριον εἶναι Ἡρακλέα* (sc. *οὔτε τὸν Ἀργεῖον οὔτε τὸν Αἰγύπτιον*), *ὅτι Φοινίκων κτίσμα ἡ Ταρτησσὸς καὶ τῷ Φοινίκων νόμῳ ὅ τε νεὼς πεποίηται τῷ Ἡρακλεῖ τῷ ἐκεῖ καὶ αἱ θυσίαι θύονται.'*

5) In programmate tamen (p. 9, 1) verba huc spectantia omisit.

6) cf. Occioni l. c. p. 16 sq. Teuffel hist. litt. Rom.[3] nr. 320, 2.

interno Herculis columnis superatis primum in Oceanum navigantibus summam admirationem afferre solet: aestus per certa intervalla invicem orae allisi et retrolabentis aspectus. Hac occasione carminis ornandi data tumidis verbis et coloribus pinguissimis spectaculum aquae crescentis et deficientis accolis maris Mediterranei ignotum depingit, quod Hannibalem quoque tunc primum intuitum esse affirmat (vss. 45–60). Hoc verumne sit an Hannibal, qui inde ab anno 236 a. Ch. n. in Hispania versabatur, miras fluctuum vices iam prius viderit, certo discerni non potest. Utique ex Silii versibus eum tum primum hoc litus visitasse eo minus concludi licet, quod imperatorum Romanorum temporibus multi, etiam ex longinquis regionibus, maris reciproci videndi studio Gades petebant.[1])

Attamen Silius ne his quidem contentus Hannibalem coniugi, quam in Africam remissurus est, valedicentem adnectit, quode supra (p. 15 sqq.) disputavimus.

III, 158–221.

Somnium, quo Mercurius Hannibali apparet et expeditionis in Italiam suscipiendae admonet.

Sed iam tempus est ad ipsum belli initium pervenire. Ad quod transiens Silium somnium Hannibalis a multis nec tamen sine discrepantia traditum, quo ut in Italiam proficisceretur, impulsus sit, narrat: Mercurius, a Jove missus, ad virum iam per se impigrum et vix umquam quiescentem accedit et reprehendentis modo eum interrogat (vss. 158–221), quomodo tandem fieri possit, ut dormiat, num post Saguntum expugnatum compressis manibus sedere velit, cum iam naves Romanae undique per maria volitent? Tum Hannibalem non respicientem se sequi iussit eumque festinanter secum in Italiam rapere visus est, cum subito strepor et linguarum furentium sibilus audiuntur. Quibus territus

1) cf. Friedlaender Darstellungen aus der Sittengeschichte Roms II[3] p. 123 sq.

et, quid modo deus vetuisset, oblitus se circumvertit et immanem serpentem videt, qui vasto rictu patens, tonitru, grandine, imbri simul increpantibus, spiris suis arbores saxaque rapide aufert. Quid hoc monstro significetur, quaerenti respondetur: vastationem Italiae eius expeditionem secuturam esse. Quo laetus simul et terribili aspectu horrens[1]) expergiscitur et, postquam praeter deorum regem et Martem praecipue Mercurio tauro albo sacra fecit, statim signa movere constituit. Hoc Gadibus factum esse, cum Livius XXI, 22 § 6 alium locum, rursus alium Zonaras VIII, 22 D, Saguntum Silenos[2]) ap. Cicer. de divin. I, 24 § 49 nominet, Heynacherus contendit (diss. p. 19, progr. p. 18). Sed tam apud Livium quam apud Zonaram res ad Iberum agitur nec Cicero Hannibalem somnium Sagunti vidisse ait, sed ‚cum cepisset Saguntum', ut hae tres relationes omnes in unam coeant. Neque vero Silius locum, ubi prodigium accidisset, Gades fuisse diserte testatus, sed potius in versu 159 hac valde obscura expressione usus est ‚repetit properato moenia gressu'.[3]) His moenibus Gades designari ex praecedentibus exspectet aliquis. Attamen quotiescunque locum mecum reputavi, semper poeta consulto verba illa ambigua posuisse visus est, ut omnes scrupulos inde natos, quod Hannibal exercitum reapse Carthagine Nova reliquit, animo eximeret et lectoris cogitationibus quasi viam muniret, qua ad hanc urbem intellegendam ferrentur, quam unius somnii causa nominatim appellare noluit. Ne vero res ut apud

---

1) ‚It membris gelidus sudor' (vs. 215) mihi videtur imitatio Verg. Aen. III, 175 (cf. VII, 459.), ubi item ob somnium dicitur ‚Tum gelidus toto manabat corpore sudor', sicut Silianum ‚neque enim sopor ille' (vs. 198) respondet Vergiliano ‚nec sopor illud erat' (ib. 173) et Silianum ‚miscuerat lucem somno deus' (vs. 200) Vergiliano ‚visi ante oculos astare iacentis In somnis, multo manifesti lumine' sc. penates (vs. 150 sq.). Hos locos non adnotatos invenio.

2) Rectius fuit Coelium dicere, cum Ciceronem, ut collata § 48 concludi potest, Graeca Sileni scripta inspexisse non sit veri simile.

3) Occioni l. c. p. 397 ‚Nessuno sa dire di che mura intenda parlare il poeta.'

Silium et Zonaram in itinere demum accideret, hoc tota carminis Siliani specie cautum erat, in quo omnia grandia facinora non ex personarum agentium indole repetuntur, sed potius, ut Polybius III, 48 § 8 in tragoediarum scriptores animadvertens acute dixit *αἱ καταστροφαὶ τῶν δραμάτων προςδέονται θεοῦ καὶ μηχανῆς.* Sin tamen re vera Silius Gades innuat, forsitan causa sit somnii recordatio, quo Caesari, cum aliquando eodem loco versaretur, dominatio orbis terrarum portenta esse credebatur.[1]) Hanc si interpretationem adoptaremus, necessarie quidem inde castra quoque movere milites iussos esse statuere cogeremur, sed etiam haberemus, quid consiliis militaribus secundum Livium XXI, 21 § 10—22 § 4 Gadibus ad Africam Hispaniamque tuendas ab Hannibale captis responderet. Deinde quod ad ipsum somnii argumentum attinet, Wezelius p. 49 sq. id ex Ciceronis loco laudato derivandum esse censuit. Quam sententiam propterea imprimis, quod Hannibal apud Ciceronem in deorum vocatur consilium, iam refellit Heynacherus (diss. p. 19, programm. p. 18). Sed ipse pro sua parte in programmate testimonia de hac re servata uno conspectu legentium oculis subiciens diligentia tali, qualem in aliis rebus ab eo adhibitam esse velimus, Silium recedere ab omnibus ceteris auctoribus demonstrare studuit. Quam eius tabulam etiamsi obiter tantum inspiciemus, iam narrationem Silianam ut a Ciceronis Zonaraeque abhorrere, ita cum Livii et Valerii Maximi, qui illum descripsit I, 7 ext. § 1 consentire videbimus. Neque enim ulla alia re inter se differunt, quam quod Silium ‚mortali specie excelsiorem iuvenem' a Jove missum cum Mercurio commutavit nec causam, qua motus Hannibal vetiti immemor respicit ex curiositate eius, sed ex tumultu post tergum orto repetit. Quo utroque nil explicatu facilius. Nam poetae, quem figuras certis lineis circumscriptas versibus intexere decet, incertum numen divinum eo minus satisfacere potuit,

1) cf. Suet. Caes. c. 7.

quia etiam apud Verg. Aen. IV, 554 sqq. Mercurius Aeneae in navi dormienti apparet, ut ei Libyam quam celerrime relinquendam esse moneat. Praeterea etiam hac deliberatione Silius, ut Mercurii mentionem ingereret, inductus esse potest. Deos enim, qui apud Homerum Troianorum partibus favent, amicos Romanorum, contra eos, qui apud Homerum Graecis auxilium ferunt, Carthaginiensium socios esse voluit.[1]) Atqui Hermes secundum Il. Y. 35 cum Graecis fecit; itaque nil nisi consentaneum erat eum apud Silium Hannibalem ad bellum contra Romanos, Troianorum nepotes, gerendum inflammare. Et quam anxii et morosi poetae Latini in talibus rebus fuerint, Vergilii Aeneae et Turno socios attribuentis ratione docemur, de qua dicit Heynius[2]) ‚teneas hoc omnes populos, qui cum Turno in Latini partibus stant, Graeca origine ortos ferri, Aeneae contra socios addi prisca origine Italica'. Alterum, quo Silius discrepat, mutata respiciendi causa erat, quam inde originem duxisse puto, quod curiositatem tanto viro indignam esse recte sensit. Ceterum quam facile, si res ad obrussam exigimus, etiam ex eodem fonte narrationes inter se diversae manasse videri possint, Valerii Maximi epitomatores ostendunt. Quorum uterque quidem dei vetitum et causam circumvertendi omiserunt; sed cum Nepotianus praeter beluam tonitrum, imbrem, tenebras commemoret, Paris nonnisi de aspectu anguis omnia perdentis loquitur et verbis ‚iuvenem . . auctorem . . factum ac ducem invadundae Italiae' facile alicui cogitationem iniciat iuvenem illum primum Hannibali consilium Italiae invadendae inspirasse, quamquam Valerius visum illud ‚proposito et votis suis (sc. Hannibalis) convenientem imaginem' nominaverat. Victimam denique, qua Poenus Mercurio gratias agit, libere de suo poeta addidit itaque non sine suavitate hanc narrationis partem concludit.

1) cf. deorum pugna: Il. Y. 32 sqq. et Sil. IX, 290 sqq.

2) tom. III. edit. IVae. p. 162 (excursus VII ad librum VII Aeneidis).

III, 222—414.

Catalogus copiarum.

Sequitur catalogus copiarum Carthaginiensium versibus 222—414 inclusus,[1]) quem Kortuem (gesch. Forsch. p. *215)* ,eine äusserst sorgfältige Uebersicht der für Hannibals Heerfahrt beitragenden Landschaften und Städte *Afrikas* wie Hispaniens' esse existimat. Sed illa accuratio non ita bene se habet. Nam populorum tabula non modo non *cum* ratione, sed etiam cum certis testimoniis pugnat. Ac primum quidem quomodo Carthaginienses Aethiopibus (vs. *265)*[2]) et Nubiis (vs. 269) milites imperare potuerint, intellegi nequit. Nam vallis, per quam Nilus fluit, et Abyssiniae iuga lato vastitatis solitudinisque limite a tractibus fecundis prope Syrtes sitis, ubi Carthaginiensium fines patebant, dirempta et arduis montibus occidentem versus terminata sunt. Regiones illae potius situ suo orientem prospiciunt, nec defuerunt inter veteres, qui ripam certe Nili orientalem ad Asiam pertinere censerent.[3]) Itaque etiam magni illi Aegyptiorum reges, Thutmosis, Amenophis, Ramses, Psammetichus Syriae et Palaestinae bella intulerunt, ut, cum ab hac parte perpetuo periculum imminere viderent, quasi propugnacula contra regna potentia, quorum sedes ad Euphratem Tigrimque erat, sibi parerent. Nec levissimam res *Pharaonum* per tot saecula actae suspicionem faciunt fuisse iis

---

1) Quod hunc Sieglinius Die Chron. d. Belag. v. Sagunt. p. 34 Silii versibus III, 406—409 citatis cum recensu copiarum ap. Liv. XXI, 21 § 9 comparans ad tempus, quo Hannibal Gadibus versabatur, retrahit, non observavit Silium l. l. de exercitu iam iter faciente loqui.

2) Ne vero ad Aethiopes occidentales quamquam a multis commemoratos, tamen minus notos ideoque a Statio Theb. X, 85 ,*Aethiopas* alios' nominatos intendisse poetam quisquam putet, Silius ipse gentem ,Nilo haud incognitam' appellando eam cogitationem excludit; *nisi* quis forte eum ut Herodotum (II, 31 sqq.) hunc fluvium cum eo, quem Nigrum hodie vocamus, confudisse credat. Similiter autem Lucanus (III, 253) Aethiopes militibus pro Pompeio conscriptis attribuit.

3) cf. Herodot. II, 15 et 16. Ampel. lib. mem. c. 6 ,Asia quae est inter Tanain et Nilum.'

aliquam calamitatem ab occidente ingruentem metuendam, quamquam Psammetichus in hac quoque parte, Mareae, stationem collocavit [1]) Potius ipsi se rebus populorum occidentem versus habitantium immiscuerunt, velut Hophra gentibus Libycis contra Cyrenaeos auxilio venit ac postea Cambyses et Alexander expeditiones in loca deserta fecerunt. His, quae in universum contra fidem catalogi Siliani monere volui, disertum Polybii testimonium accedit, qui de finibus Carthaginiensium, quo usque initio belli Hannibalici prolati fuerint, haec tradit III, 39 § 2 *Καρχηδόνιοι γὰρ ἐν τούτοις τοῖς καιροῖς τῆς μὲν Λιβύης ἐκυρίευον πάντων τῶν ἐπὶ τὴν ἔσω θάλατταν νευόντων μερῶν, ἀπὸ τῶν Φιλαίνου βωμῶν, οἳ κεῖνται κατὰ τὴν μεγάλην Σύρτιν, ἕως ἐφ' Ἡρακλέους στήλας.*[2]) Quin Silius quasi risui lectorum se praebiturus XI, 380 sq. Cyrenen cum Ptolemaeorum regno coniunctam fuisse[3]) ipse confitetur, cum in hac carminis parte (vs. 252) copias eius castris Carthaginiensium addiderit. Sed, in quo cardo rei versatur, Polybius omnia, quae de viribus Hannibalis memoriae tradidit, ex purissimo fonte hausit, cum describeret columnam aeneam, quam in Lacinio promunturio ab ipso Hannibale positam invenerat.[4]) Cui numeris accurate appositis inscriptum fuisse apparet, quos milites Hannibal in Africam delegasset,[5]) quas opes Hasdrubali fratri,[6]) quas Hannoni[7]) reliquisset, quot homines praeterea in Hispania remansissent,[8]) cum quantis copiis ipse profectus[9]) quantas Italiae intulisset.[10])

1) Herodot. II, 30.

2) cf. Sall. Jug. c. 19 § 3 ,Philaenon arae, quem locum Aegyptum vorsus finem imperi habuere Charthaginienses.'

3) cf. supra p. 14 c. adnot. 6.

4) vd. Polyb. III, 33 § 18, 56 § 4.

5) Polyb. III, 33 § 9—11 Liv. XXI, 21 § 12.

6) Polyb. III, 33 § 14—16. Liv. XXI. 22 § 2 et 3.

7) Polyb. III, 35 § 5. Liv. XXI, 23 § 3.

8) Polyb. III, 35 § 6.

9) Polyb. III, 35 § 7. Liv. XXI. 23 § 1. App. Hann. c. 4.

10) Polyb. III, 56 § 4 (cf. II, 24 § 17.) Liv. XXI, 38 § 2 sqq.

Quarum gentium singuli essent, exaratum certe non repperit, sed exercitus, quod ad populos attinet, in Libyes tantum et Hispanos, quod ad arma, in pedites et equites divisus erat. Hoc autem poetae minime suffecit. Itaque totum quasi corpus, quod Africa et Hispania complectuntur, dissecuit et varias utriusque terrae gentes, quae notae ei erant, sine certo quodam ordine permixte enumeravit[1]), *Βοιωτίας* Homericae[2]) et indicis Turni copiarum Vergiliani[3]) exempla secutus. Quodsi quis, num ex moribus diversis gentibus a Silio ascriptis aliquem fructum percipere possimus, quaerat, ne hoc quidem concedi potest. Nam proprietatum et consuetudinum descriptio, ut ex commentariis facile videre licet, imitationis locorum Vergilianorum praecipue ad arma spectantium tam plena, cultui aevi heroici[4]) saepe tam similis est, ut cetera, quibus veri aliquid inesse potest, non modo non sine difficultate eruantur, sed etiam dubitationes moveant. Nonnulla eorum scriptores aut male memoria retenti aut artificiosa interpretatione pressi suggerebant: velut ‚vestigia nuda' (vs. 235) Carthaginiensibus propterea videtur attribuisse, quia Allobroges Hannibalis copias ad superandas Alpes calceamentis instruxisse apud Polybium legerat;[5]) usum autem bello vestes rubras induendi, ut, si quis vulneretur, sanguis e conspectu hostium removeatur, Valerio Maximo debet, apud quem cum II, 6 § 2 ‚idem (Spartani) ad dissimulandum et occultandum vulnerum suorum cruorem p u n i c i s[6]) in proelio tunicis utebantur' inveniret, adiectivo, quod aliquam rem rubram esse signi-

1) cf. etiam quae de catalogo Scytharum a Valerio Flacco composito in illius poetae editione sua ad VI, 37 adnotavit Wagner.

2) Il. B, 484 sqq.

3) Aen. VII, 641 sqq.

4) vs. 240 Mago de curru pugnat, quod armorum genus, postquam elephanti bello usurpari coepti sunt, ex re militari sublatum erat. cf. Mommsen hist. Rom I⁶. p. 504.

5) III, c. 49 § 12.

6) Eadem adiectivi forma v. c. etiam Curt. III, 3 § 10 traditur, quamquam editores ‚puniceus' exhibent.

ficat, gentilicium[1]) eiusdem soni substituit[2]) Alia, ut brevem Poenorum staturam (vs. 232) et fascias Nubiorum multipliciter implicatas (vs. 271), testis forte oculatus enarravit, cum imperatorum tempore, quo tanta exterarum gentium multitudo Romam confluxit,[3]) certe nec Afri raro occurrerent. Contra in describendis Hispania eiusque incolis (vs. 325) saepius Trogus ei ante oculos versatus est, quod usque adhuc editores fugit. Nam non modo ubertatem vini (vs. 370), lini (vs. 374 sq.), auri (vs. 401), frumenti (vs. 403), olivarum (vs. 405) Justinus enumerat XLIV, 1 § 5—7; 3, § 5, sed etiam easdem proprietates, quas Silius solis Cantabris (vs. 326—331) vindicavit, in universum Hispanorum praecipuas esse ait l. l. c. 2 § 1 sqq. ‚Corpora hominum ad inediam laboremque, animi ad mortem parati.[4]) Bellum quam otium malunt[5]) . . . plurimis arma sanguine ipsorum cariora'; idem, quod Silius vss. 350 sqq. de Gallaecorum mulieribus dicit, c. 3 § 7 his verbis refert ‚Feminae res domesticas agrorumque culturas administrant, ipsi armis et rapinis serviunt,' quorum ultima pars rursus alludit ad Silianum ‚vis raptaque pascunt' (vs. 390); ut Silius vs. 368, sic c. 3 § 2 Teucrum Carthaginis Novae conditorem facit

---

1) Eadem notionis varietate ‚puniceus' usurpatur, quod Ov. Ib. 280 Merk. idem valet atque ‚Carthaginiensis', ap. Val. Flacc. I, 384 et alios colorem indicat. cf. comment. Bernens. in Lucan. I, 214 ed. Usener.

2) Hoc quidem veri similius esse puto quam, quod Wezelius p. 73 contendit, huius loci fontem esse Polybium, ubi III, 114 § 4 *λινοὶ περιπόρφυροι χιτωνίσκοι* Iberorum commemorantur. Neque vero Silius, ut per errorem statuit Wezel., de Iberis agit, sed de Carthaginiensibus. cf. Blass. ann. Fleckeis. 1874, p. 484 adnot.

3) Lucanus I, 511 Romam appellat ‚Urbem populis victisque frequentem Gentibus et generis, coeat si turba, capacem Humani'. cf. etiam Friedlaender Darst. aus d. Sittengesch. Roms I² p. 21 sqq.

4) Lucanus de Gallis I, 460 sqq. ‚Inde ruendi In ferrum mens prona viris animaeque capaces Mortis: et ignavum rediturae parcere vitae'.

5) cf. etiam Florus I, 22, § 38 ‚bellatricem illam viris armisque nobilem Hispaniam'; et Liv. XXIII, 49, § 12. Sil. V, 195.

nec ib. § 1 notam de equabus vento gravidis fabulam addere oblitus est, quam Silius versibus 379 sq. iniunxit. Deinde quod ad duces attinet, neminem praeter Hannibalem et Magonem ex vera rerum historia promptum esse persuasum habeo. Hi duo cum bello contra Romanos gesto ex hostium partibus maxime eminerent, nomina eorum, nisi meris ἀλληγορίαις obscurare voluit, mutare non potuit, gloriam autem pro epico fortibus facinoribus augere debuit. Haec me iudice causa fuit, cur in Magonem egregie dicta factaque aliqua, quae, si historicorum testimonia sequimur, aliis Poenis tribuenda erant, deferrentur,[1]) velut si ille post pugnam Cannensem se quinto die post cenam *ei in* Capitolio apparaturum esse pollicitus Hannibali, ut quam celerrime Romam peteret, suasisse dicitur (X, 375 *sqq.*) nec Maharbal, ut ap. Liv. XXII, 51 § 2 (= Flor. I, 22 § 19).[2])

---

1) Huic sententiae assentiri videtur Blassius Fleckeis. ann. 1874, p. 504.

2) Heynacherus (progr. p. 27, Nr. 13) inde de alio fonte *cogitat*. Et eundem quidem alium fontem esse putat, e quo etiam versus VI, 61 haustus sit, ubi idem Mago Polybio — III, 84 (§ 14) — Livio — XXII, 6 (§ 11) — Appiano — Hann. c. 10 — contradicentibus fugientes Romanos persequatur. Accuratius vero locum intuentibus patebit Silium ibi omnino non agere de sex illis sive malimus decem milibus militum — nisi Appianus sex milia per hostes erumpentium (Pol. l. c. § 11 sqq. Liv. l. c. § 8 sqq.) cum decem milibus fuga sparsis ap. Liv. XXII, 7, § 2 confudit — qui cum post pugnam apud Trasumennum factam in vicum Etruriae munitum se recepissent, a Maharbale subsecuto ad deditionem coacti sunt. Potius in universum de fuga disputans, sicut Livius c. 6, § 5 ‚magnae partis fuga inde primum coepit . . . per omnia arta praeruptaque velut caeci evadunt, armaque et viri super alium, alii praecipitantur', dicit: omni strepitu, omni aeris spiritu fugientes terrentur, somno indulgere non audent, mox Hannibal mox Mago eos exagitat i. e. animis metu sollicitatis Poenum se presso pede sequi fingunt. Sic Valerius Flaccus VIII, 449 ‚fugit infestos vibrantibus hastis Terrigenas, fugit ardentes exterrita tauros' de Medea dicit, quamquam illa eas res non potuit nisi animo imaginari, cum id temporis in Peuce insula ad Danubium in Oceanum effluentem sita versetur; et Statius Theb. I, 369 de Polynice patria profugo ‚pulsat metus

Ceteri autem duces, quibus ad catalogum conficiendum Silio haud paucis opus erat rerum memoria non traditis, cuncti eodem modo, quo etiam ficta militum nomina proeliorum descriptionibus inseruntur,[1]) inventioni poeticae debentur. Esse haec, ut Barthii dicto[2]) utar, κωφὰ πρόσωπα, quae historiae fundamento carent neque aliter a poeta ipso censebantur, et ex inferiore loco, quem plerique eorum in posterioribus Punicorum partibus obtinent,[3]) et ex eo elucet, quod in carmine perlegendo progressi etiam alios homines plane diversos et in catalogo omissos Hannibalis duces et consiliarios invenimus.[4]) Nam si personae catalogi re vera ex

---

undique et undique frater' i. e. cogitatio de fratre, quem re vera insectatum esse minime putandum est.

1) cf. vet. schol. ad Stat. Theb. II, 629 ,in pugnis solent exempla virtutum fictis personis inducere poetae'.

2) ad Stat. Theb. IX, 749.

3) Antaeus, Bocchus, Cycnus, Mandonius, Caeso, Balarus, Rhydacus (de quibus nominibus vd. textum paulo infra) omnino postea non occurrunt. Nam etiamsi ab editoribus ut III, 338, ita XIV, 434 (ubi ,cydunſ' L^3 ,cydınıſ' F.) ,Cydnus' legitur, nequaquam altero loco eandem personam significari, sed potius classiarium Romanum, qui titiones Poenorum navibus iniecerit, verborum cohaerentia docet. Acherras VII, 338 praecipua Hannibalis fiducia dignatur. Choaspes IV, 824 colles in sinistro latere lacum Trasumennum cingentes occupare iubetur. Viriathus in pugna Cannensi, postquam Servilium occidit, Paulli manu cadit X, 219 sqq.; Phorcys X, 173 sqq. et ipse a Paullo interficitur; Arauacus V, 557 ad lacum Trasumennum vulneratur. Solus Sychaeus, quem cognatum Hannibali fuisse poeta comminiscitur praeterquam quod IV, 825 commemoratur, factis suis complexum versuum V, 460—529 implet et ib. 584—602 quasi laudatione funebri celebratur.

4) Sic Maraxes, cuius in catalogo mentio non fit, VII, 324 primus est, quocum Hannibal Fabii dolo nocturno decipiendi consilium communicat, et a Magone ib. vs. 329 ,fortissime ductor' compellatur. Sic Nealces, quem et ipsum poeta in libro tertio praeteriit, non modo tam idoneus dux videtur Hannibali, ut pugna Cannensi sinistro cornui praeponatur (IX, 226), sed etiam quasi fidem ab imperatore sibi tributam confirmaturus Scaevolam fortem Romanum necat (ib. 392 sqq.) Nealcen autem XV, 448 commemoratum, qui additis verbis ,incestus

historia depromptae essent, non secundas (et ne has quidem) agerent, sed, prout in rebus ipsis excellentes fuerunt, maiore a poeta auctoritate afficiendi fuissent. Sin autem duces illi, qui posterioribus poematis locis laudibus efferuntur, certis scriptorum testimoniis niterentur, iam in catalogo nominati essent. Nomina ipsa secundum morem, quo cuique parti, quantum fieri potuit maxime, convenientia tribuere studuit, formata sunt: Sychaeus (vs. 245) nomen suum, quod Vergilium ex Sicarba voce Punica in formam ori Latino magis adaptatam convertisse Servius nos docet,[1]) de priore Didonis coniuge a Silio ipso I, 90 et VIII, 123 commemorato accepit itaque nepos Hannibalis ex sorore, Hasdrubalis coniuge, fuisse dicitur, cum Silius Barcidarum genus e familia conditricis patriae eorum repetat.[2]) Fingitur autem adolescens matre superbus ut Numanus nova nupta sua, Turni sorore, ap. Verg. Aen. IX, 596. Ilertes[3]) (vs. 255) ab urbe Hispaniae victoria Caesaris de Afranio et Petreio reportata nobilis, quae hodie vocatur Lerida, cum Graece interdum Ἰλέρτη scribatur,[4]) derivari potest nec nisi orthographia differt ab Ilerde, qui Hispanus XVI, 566 et 571 in ludis funebribus a Scipione editis occurrit. Quamquam aliquid incommodi inde oritur,

. . . Germanae thalamo' infamatur — sicut nec Vergilius (X, 389 ‚Anchemolum, thalamos ausum incestare novercae') nec Statius (Theb. IX, 759 ‚male dilectum miserae Cydona sorori') stuprum heroibus suis imputare veriti sunt — et a Catilina in pugna a Scipione contra Hasdrubalem, Hannibalis fratrem, in Hispania commissa occiditur, aliam personam esse verisimile est. Et videtur hoc nomen paene in deliciis fuisse poetis. Nam et apud Vergilium (Aen. X, 753) et apud Valerium Flaccum (III, 191) exstat, ubi Cyzicenum quendam significat. Quin Nealce feminino genere a Statio (Theb. XII, 122) ad designandam Hippomedontis uxorem usurpatur et in Petronio occurrit (frgm. 39, 1 Buecheler).

1) ad Verg. Aen. I, 343 Thilo et Hagen.

2) cf. I, 73 sqq. et 87; II, 49; VIII, 30 sq. et 221; et imprimis XV, 745 sq.

3) Ita codices tradunt (Blass.).

4) e. g. App. bell. civ. II, c. 42.

quod ipso hoc loco, ubi vires Libycae et Hispanae discernuntur, nomen Hispanum in Afrorum ducem translatum est.[1]) Sed cui hoc offensionis causa sit, dormitare nonnumquam poetas nec non Statium (Theb. IX, 253) Astyagen quendam Graecis hominibus intrusisse reputet. Antaeus (vs. 264) nomen gigantis illius Mauri terraeque filii est, qui quotienscunque in luctatione ab Hercule in terram deiectus erat, recentibus a matre viribus acceptis refectus surrexit et tandem in aëre suffocatus est.[2]) Bocchus (vs. 285) recordationi regis Mauretaniae, qui Jugurtham socerum Romanis dedidit[3]) originem debet. Acherras,[4]) qui vs. 299 frater Asbytes, virginis exemplo Camillae Vergilianae a poeta pugnis ante Saguntum commissis iniunctae, appellatur, idem valet atque Acherres, quod in indice regum Aegyptiorum ab Hieronymo relato exstat[5]) nec nisi terminationem mutatam exhibet, ut vice versa VII, 601 miles Hannibalis Adherbes vocatur, cum vulgaris declinatio Latina Adherbal, Graeca 'Ατάρβας sit.[6]) Ac nomen arbitrio poetae positum esse inde manifestius fit, quod etiam alii Poeno idem inditur. Ineptum enim esset, si quis Acherram X, 76 commemoratum, qui metu Paulli consulis tremens in acie suorum se abscondit, et regis filium[7]) familiaremque Hannibalis, qui prae studio bellico vix nocte tranquillum somnum capit, no-

1) An inde haec permixtio, quod subito Hannibalem Afros ad Hispaniam, Hispanos ad Africam tuendam reliquisse obscure meminit? cf. Liv. XXI. 21 § 11 et Pol. III, 33 § 8 praeterea infra p. 63.

2) cf. Rup. ad Sil. III, 40 sq., Prop. III, 22, 9 sq. (IV, 22, 9 sq. Lchm.) ‚luctantum in pulvere signa Herculis Antaeique' Ov. Met. IX, 183 sq. ubi Hercules, Nessi veneno periculoso sine spe salutis traditus, de omnibus, quae fortiter fecit, desperans incredulus se ipsum interrogat: ‚saevoque alimenta parentis Antaeo eripui'? ‚Hercules et Antaeus' Anthol. Lat. Ries. I. p. 36.

3) cf. Sall. Jug. c. 19 § 7 c. 80 § 6 c. 113 § 7.

4) Huic formae patrocinari codicum suorum consensum mihi affirmat Blassius.

5) cf. Eusebi chronicon ed. Schoene vol. I, append. p. 33.

6) Polyb. I, 49 § 7 (cf. ib. § 4 et 46, § 1).

7) Jarbas rex secundum vss. II, 58 sqq. Asbytes pater erat.

stro loco et VII, 338 significatum, eosdem esse viros contenderet. In Choaspis (vs. 317) nomine legendo statim uniuscuiusque animo recurrit imago fluminis, cui Susa adiacent cuiusque aquam cadis argenteis infusam Persarum rex semper in expeditionibus et itineribus secum ferre solebat.[1]) Sed quid tandem rei est huic amni Persico cum Africa Poenisque? Hoc quaerenti Sallustius Jug. c. 18 § 4 respondebit: secundum rationem, quam Hiempsal rex in libris suis Punicis exposuerat, Persae, Medi, Armenii de exercitu Herculis undique gentium conscripto post mortem ducis, qui eos in Hispaniam traiecerat, cum Africae appulissent, ibi consederant. Cui vero hoc longinquius petitum videatur, Silium Herodoti historiarum libri VII caput 61 respexisse statuat, ubi Persae a Cepheo, Aethiopum rege noto, derivantur, cuius cum filia Perseus filium Persen genuerit. Hi igitur Afrorum duces sunt, quos fetus ingenii Siliani procreavit. Sequuntur Hispanorum: quorum qui primus nominatur (vs. 338), varie traditur sed ex ‚Cydno', quod Coloniensis auctoritate commendatum[2]) editores fluvii Ciliciae cognominis memores imprudenter receperunt, facile ‚Cycnum' s. ‚Cygnum' expiscamur. Inter Cycnos enim varios qui in fabulis reperiuntur, unus est, quocum Hercules certamen singulare iniit, Martis et Pyrenes filius.[3]) Is, cum Pyrene a poetis pro Pyrenaeis montibus usurpetur,[4]) sine difficultate in Pyrenaeorum filium itaque Hispanum converti potuit. Secundo loco Viriathus (vs. 354 sq.) ponitur ‚Nomen Ro-

---

1) Herodot 1, 188.

2) Hoc nomen in codicibus depravatum fuisse veri simile reddunt, quae Blassius mecum communicavit. Nam optimus mss. L[3] habet ‚cıdınıf', librarius vero codicis F h. l. exemplum, quod descripsit, iam non legere potuit, cum primo spatium nominis vacuum reliquisse videatur, quod postea sive ab eo ipso sive ab alio ‚cidnus' litteris expletum est.

3) Apollod. bibl. II. c. 5 § 11. Eandem rem narrat Hyginus fab. c. 31, nisi quod in ea operis retractatione, quae aetatem tulit, matris nomen (ab ipso auctore forte prolatum) deest.

4) Sil. I, 487 et saepius.

manis factum mox nobile damnis', ut Silius vaticinantis de rebus futuris modo addit, quamquam, ut ita dicam, non hic Viriathus pastorem illum Lusitanum, qui inde ab anno 147 usque ad annum 139 a. Chr. n. cum Romanis bellum gerebat, aetate praecessit, sed ille, qui nominis fingendi causa exstitit, hunc. Mandonium (vs. 376) a fratre Indebilis, Ilergetum reguli, quem Livius XXII, 21 § 2, XXVI, 49 § 11 saep. commemorat, poeta mutuatus est. Difficilius dictu, qua re motus Caesoni (vs. 377), quod gentium Romanarum praenomen et cognomen esse nemo est qui nesciat, partes ducis Hispanorum tribuerit. Sed Silium ad contemporaneum quendam,[1]) qui res cum Hispania habuit, sive ut ei honorem afferret sive ut notam inureret, intendisse puto. Et profecto in titulo c. i. L. II, 2126 duo C. Cornelii Caesones, pater duumvir, filius sacerdos Obulconis, municipii Hispanici, occurrunt. Quae inscriptio, quamquam archetypum servatum non est, ob apices productis vocalibus superpictos primo post Christum natum saeculo recentior esse nequit. Balarus (vs. 378) singularis numerus Balarorum est, populi, si veri speciem sequimur, Hispani,[2])

1) cf. Perizonius animadv. hist. ed. Harles. Altenburg 1771. p. 25. Cosack. quaest. Sil. p. 52 sqq.

2) A Pausania X, 17 § 5 *Λίβυες ἢ Ἴβηρες* vocantur. Nec negligendum est descriptionem Sardiniae ab hoc scriptore traditam, ut iam Ernestius adumbravit, per qualescunque propagines ex eodem fonte pendere quem Silius XII, 355 sqq. sequitur. Nam non modo Sardiniam olim apud Graecos ob figuram soleae similem Ichnusam audisse, Sardum Libycum cum Herculis posteris coloniam eo deduxisse et terram de suo nomine appellasse, tum Aristaeum, Actaeonis miseri patrem filiumque Cyrenes, in insulam immigrasse et Jolaum cum Thespiis advenisse uterque narrat; sed etiam quae de locorum natura proferunt, paene ad amussim inter se consentiunt: Nam conferantur velim: ,Serpentum tellus pura ac viduata venenis' (Sil. XII, 370) et *ὄφεις δὲ οὔτε οἱ ἐπὶ συμφορᾷ τῇ ἀνθρώπων οὔτε ὅσον ἀνώλεθρον αὐτῶν ... τρέφεσθαι πεφύκασι* (Paus. X, 17 § 6); ,Sed tristis caelo et multa vitiata palude' (371) et *ὁ δὲ ἀὴρ ὁ ἐνταῦθα θολερός τε ὡς ἐπίπαν ἐστὶ καὶ νοσώδης* (§ 6); ,Qua videt Italiam, saxoso torrida dorso Exercet scopulis late freta' (372 sq.) et *Τὸ δὲ τῆς νήσου τὰ πρὸς τῆς ἄρκτου καὶ*

qui cum teste Pausania (X, 17 § 5) Carthaginiensibus in subigenda Sardinia auxilio fuissent, postea discordia ob praedam orta ab iis alienati ipsi domicilia in insula occupaverunt[1]). Rhyndacum (vs. 388), quia nomen fluvii e Bithynia orti et in Propontidem profluentis itaque Troiae finitimi est, initio ex erroribus heroum Graecorum, quorum cum domum redire vellent, alia pars Teucro,[2]) alia Diomede[3]) duce etiam usque in Hispaniam delata erat, repetere temptavi; sed cum a Blassio optimo codicum nobis servatorum, L^3, tradi ‚rhydacus'[4]) certior factus essem, cogitatio mihi incidit latere hic forte nomen, quod Justin. XXI, 6, § 1 et ex eo Orosius IV, 6 Hamilcari a Carthaginiensibus ad Alexandrum Magnum misso attribuunt et vulgo ‚Rhodanus' apud utrumque scriptorem legitur. Hanc coniecturam si probaverimus, consequatur quidem, ut forma nominis recta esse non possit, cum ‚Rhodanus' a fluvio de-

---

ἠπείρου τῆς κατὰ Ἰταλίαν ἔστιν ὄρη δύσβατα τὰ πέρατα συνάπτοντα ἀλλήλοις (§ 6); ‚pallidaque intus Arva coquit nimium Cancro ferventibus Austris' (vs. 373 sq.) — sic enim scribit H. Blass pro ‚fumantibus Austris' progr. scholae realis Ludovicapolitanae Berolin. 1867 p. 31 — et *ὁ νότος βαρὺς καὶ βίαιος ἐγκειμένος. οἱ ἄνεμοι τε οἱ ἀπὸ τῆς ἄρκτου... κωλύονται, πνέοντες θέρους ὥρᾳ, τίν τε ἀέρα τὸν ταύτῃ καὶ τὴν γῆν ἀναψύχειν* (§ 6); ‚Cetera propensae Cereris nutrita favore' (375) et *Ἡ δὲ Σαρδὼ . . . εὐδαιμονίαν ἐστὶν ὅμοια ταῖς μάλιστα ἐπαινουμέναις* (§ 2).

1) Plin. N. H. III, c. 7 § 85 ‚Celeberrimi in ea (Sardinia) populorum Ilienses, Balari, Corsi.' Ilienses et Balari anno 178 a. Chr. n. seditionem moverunt (Liv. XLI, 6, § 5 sq.), sed insequenti anno a Tib. Sempronio Graccho in potestatem Romanorum redacti sunt (ib. 12, § 4 sq.).

2) vd. Sil. III, 368, XV, 192 et supra p. 55.

3) Sil. XVI, 368. Dionys. Perieg. 483 sqq. *Δήεις ἰφθίμου Διομήδεος αὐτίκα νῆσον* (sc. sinistra parte, si in mare Adriaticum inveharis), *Ἔνθ' ἥρως ἀφίκανε, χαλεψαμένης Ἀφροδίτης, Ὁππότε τριλλίστων μετεκίαθεν ἔθνος Ἰβήρων*. cf. Strab. I, 2 § 11 = p. 22 *καὶ οὐ μόνον γε περὶ Ἰταλίαν, ἀλλὰ καὶ μέχρι τῶν ἐσχάτων τῆς Ἰβηρίας ἐστὶν εὑρεῖν ἴχνη τῆς ἐκείνου (Ὀδυσσέως) πλάνης καὶ ἄλλων πλειόνων* et vd. ib. III c. 2 § 13 = p. 149 sq.

4) ‚Rhindacus' exstat in F. O. V.

rivatum ap. Silium XV, 722 Gallum designet et prosodia differat, at tamen Ilerti supra (p. 58 sq.) tractato novum paretur praesidium. Ut enim ibi Hispanum ducem Afris immixtum esse vidimus, ita h. l. Afer Hispanis militibus praepositus sit. Phorcys (vs. 402) deus marinus est,[1]) ut cum Homero (*α*. 72 *γ*. 96 et 345) loquar, *ἅλος ἀτρυγέτοιο μέδων*, *ἅλιος γέρων* vel ‚numen ... secundum aquis' si Lucano IX, 645 sq. credimus, et pater Medusae, quae de eo ‚Phorcynis' dicitur[2]). Cuius quidem sedes vulgo in eas Libyae partes, quae maxime in occidentem vergunt, removentur: velut ‚Finibus extremis Libyes, ubi fervida tellus Accipit Oceanum demisso sole calentem, Squalebant late Phorcynidos arva Medusae' ap. Lucanum IX, 624 sqq. legimus. Sed cum Silius solem plerumque in litore Tartessiaco undas subeuntem inducat,[3]) paulo liberius X, 174 sq., quod in locis fabularum tam incertis et quasi fluctuantibus nemini mirum videbitur, patriam eius in oram columnarum Herculis Hispanicam, Calpen, transfert et hac regione etiam Phorcyn oriundum facit. Ceterum iam Homerus huius dei marini nomen Il. B. 862 duci Phrygum destinaverat.[4]) De Arauaco (vs. 403) denique iam supra egi (p. 41 sq.).

III, 415—419. 442—476.

Hannibal Pyrenaeos transgressus per Galliam proficiscitur.

His copiis Hannibal Pyrenaeos montes petit (vs. 415—419). Quos postquam superavit et per Bebrycum terram clivosam silvosamque transiit (vs. 442 sq.), per Volcarum fines armis sibi viam usque ad Rhodanum sternit (vss. 444—446). In his Heynacherus (progr. p. 20, 1) primum Bebrycum mentione offenditur, qui cum a Livio non commemorentur, vestigium alius fontis indicent. Ad quam sententiam suam corroborandam locum e Cassio Dione supra (p. 22 adnot. 1) laudatum omittere non debuit, ubi cum de

1) Et. magn. *δαίμων θαλάσσιος παρὰ τί φέρεσθαι ὠκέως.*
2) cf. Ov. Met. IV, 743. Sil. II, 59.
3) vd. e. g. VI, 1 sqq.
4) cf. Et. magn. *τὸ δὲ Φόρκυν ... σημαίνει .. καὶ ὄνομα κύριον.*

Bebrycibus sermo sit, de Pyrenaeis aeque ac Silius vs. 418 ‚Divisos Celtis late prospectat Iberos' (sc. Pyrene) cecinit, *τὸ δὲ ὄρος τοῦτο χωρίζει Ἰβηρίαν καὶ Γαλατίαν* dicitur. Sed Pyrenaeos Galliam Hispaniamque discernere et Bebryces eorum esse accolas poeta citra dubium etiam sine libris auditu compertum habuit. Itaque ut saltuosum montium deiectum ‚Bebryciae fines aulae' (vs. 443) appellaret, eum totam narrationem aliis quam Livio fontibus superstruxisse minime est quod statuamus, nisi quidem ubique, priusquam verbum chartae inscriberet, Livium evolvit et, quid diceret, consuluit. Verum Heynacherus (diss. p. 21, 1) porro monet, apud Livium (XXI, 26 § 6) Volcas in utraque Rhodani ripa, apud Silium in dextra tantum sedere. Sed ubi tandem id exstat? Silius Volcarum in dextra ripa habitantium mentionem facit vs. 445; sed sinistram eos non incoluisse non dicit. Hoc ipse Heynacherus postea intellegens, ut e verbis programmatis (p. 20) mutatis apparet, stultum suum argumentum abiecisse videtur. Contra quod in dissertatione Silium trans Rhodanum, ubi secundum Livium (XXI, 28) pugna cum Volcis facta sit, nullum commemorare proelium adnotat, eo usque auxit in programmate, ut Silium pugnam, quam Livius in sinistra ripa commissam esse scripserat, in dextram transposuisse contenderet. Neque vero omnino haec pugna, quae solo ablativo armis vs. 444 adumbratur, ad proelium post Rhodani transitum a Livio descriptum spectat, sed potius ad verba (c. 26 § 6) ‚Hannibal ceteris metu aut pretio pacatis iam in Volcarum pervenerat agrum', quae maiorem lucem accipient ex Polyb. III, 41 § 7 *τοὺς μὲν χρήμασι πείσας τῶν Κελτῶν τοὺς δὲ βιασάμενος* et App. Hann. c. 4 *Γαλατῶν δὲ τοὺς μὲν ὠνούμενος τοὺς δὲ πείθων, τοὺς δὲ καὶ βιαζόμενος διώδευε τὴν χώραν.* Harum igitur rationum, quibus Hannibalem Gallos subegisse historici tradunt, Silius brevitatis causa unam solam elegit;[1]) et hac eum in Volcas anim-

1) Idem facit Orosius IV, 14 p. 252 Havere. ‚Pyrenaeos montes transgressus inter ferocissimas Gallorum gentes ferro viam aperuit.'

advertisse, res singulas a Livio relatas nil curans, ponit, quia is unicus Gallorum erat populus, quem Livius iter Hannibalis inde a Pyrenaeis usque ad Rhodanum confectum narratione prosequens nominatim appellaverat. Hunc amnem Hannibali traicere conanti impedimenta facta esse, Scipionem navibus Massiliam pervenisse,[1]) partem Numidarum cum equitatu Romano proelio acri conflixisse,[2]) Hannibalem principibus Allobrogum de regno discordantibus sollerter usum esse[3]) prorsus praetermittit, quia hae res, quae paucis versibus absolvi non poterant, pro tota materia carmini destinata levidensiores videbantur, quam quae uberius tractari possent. Et eandem fere rationem Florus iniit, qui fucum, ut solet, rhetoricum historiae anteponens I, 22 § 9 res commemoratas et ipse audaci quasi saltu transilit.[4])

Versus 447—454 brevem Rhodani descriptionem exhibent: amnis ille ex nivibus Alpinis oritur et Arare, cuius lentus cursus a Caesare B. G. I, 12 § 1 relatus iam paene in proverbium abiit, recepto per alveum latum in mare excurrit;[5]) ipse fluvii transitus, qualis a poeta versibus 455—465 depingitur, totus a Livio qui h. l. in rebus omnibus memoratu dignis cum Polybio consentit, pendet, nisi quod, quae apud illum duobus locis ad traiciendum praestitutis fiunt, modo saepius a poeta observato in unum contracta sunt.[6]) Nam ‚Nunc validis gurges certatim frangitur ulnis' (vs. 457) desumptum est e Liv. XXI, 27 § 5 ‚Hispani . . . flumen tranavere' (Si tamen praecedenti versu

---

1) Polyb. III, 41 § 4. Liv. XXI, 26 § 3 et 4.

2) Polyb. III, 44 § 3 et 45 § 1—3 Liv. XXI, 29 § 1—4. Zon. VIII. 23. D.

3) Polyb. III, 49 § 5 sqq. Liv. XXI, c 31 § 4—8.

4) Ceterum et Appinanus Hann. c. 4 de iis tacet (apud eum c. 5 Scipio iam in Hispania bellum gessit, cum a mercatoribus Massiliensibus Hannibalem iam Alpes superare comperit: Iber. c. 14); nec Eutropius proelium ap. Rhodanum fluvium commissum memorat, etiamsi III, 3 = III, 8 Droys. duos Scipiones in Hispaniam profectos esse ait.

5) cf. Polyb. III, 36 § 8; 47 § 2 sq. Liv. XXI, 31 § 4, 26 § 4.

6) cf. infra p. 77 cum adnott. p. 82.

additur milites arma sublata ab aqua defendisse, hoc tam facile ex ipsa natura abstrahi potuit, ut neminem fore putem, qui poetam id ex alio fonte deprompsisse credat.) et ,Fluminea sonipes religatus ducitur alno' (vs. 458) respondet Livianis (ib. § 9)[1]) ,equorum pars magna nantes loris a puppibus trahebantur'; ratio, qua elephanti traducuntur (vss. 460—462) eadem est, quae apud Liv. ib. c. 28 § 6 sqq.[2]), ipsis locutionibus ,resolutis — vinculis' e § 9 et ,in *altum'* e § 10 decerptis. Quin etiam, si quis minutiora sectetur e ,gregis illapsu fremebundo' vs. 463 poetam bestias *nonullas* in aquam se praecipitantes[3]) leviter tetigisse eruere possit, quamquam timor aquae, quo ap. Liv. l. c. § 10 sq. et Polyb. l. c. § 7 elephanti capiuntur, poetice in metum dei fluvialis conversus est, qui beluis ferocibus succensens simul et pavidus, tamquam pedem recipit undasque minuit. Heynacherus autem cum (diss. p. 21, 2 progr. p. 20, 3) transitum ut apud Livium et Polybium navibus, ita apud Silium ponte perfici affirmaret, perperam interpretatus est versum 455 ,Invadunt alacres inimicum pontibus amnem', quia ,pontibus' non casus sextus, sed tertius est et cum adiectivo, quod est ,inimicus', connectendum fluvium pontis impatientem *significat*.[4]) De quo Rupertii notas inspiciens facile potuisset edoceri, nisi consulto ab explicatione vulgari quidem, *sed* recta recessisset! Ac praeclare scilicet pons in id quadrat, quod equi per aquam tracti sunt!

Post Rhodanum igitur traiectum Silius Hannibalem non sicut Polybius III, 47 § 1 et Livius XXI, 31 § *2* flumine adverso pergentem facit. Cuius rei causam iam supra (p. 65) inde esse repetendam dixi, quod ad maiora festinans dissensiones inter Allobroges, quo haec via ferebat, ortas copiosius enarrare operae pretium non duxit nec cum Heynachero (diss. p. 22, progr. p. 20) ex alio fonte,

---

1) Polyb. III, 43 § 4.
2) Polyb. III, 46.
3) cf. Liv. l. c. § 12 Polyb. l. c. § 11.
4) Sic Vergilius Aen. VIII, 728 ,pontem indignatus Araxes'.

secundum quem Hannibal omnino ad Allobroges non venit. Praeterea si paulo tantum accuratius Livium legit, apud illum auctorem viam Hannibalis quam maxime complicatam esse nec Allobrogum mentionem apte cum sequentibus cohaerere cognoscere debuit. Talem narrationis Livianae discrepantiam etiamsi et ego inde natam esse puto, quod Livius initio Polybium secutus a c. 31 § 9 alio fonte usus sit, tamen Silium, qui ob causam memoratam solam alteram narrationum a Livio contaminatarum adoptavit, ideo non ex Livio ipso hausisse, sed ex communi fonte primario, cum ea huius scriptoris parte, quae Polybium non reddat, consentiente, Heynachero non largior. Nam quod Silius (vs. 466, 467) inter Galliae populos, per quorum fines Poenorum exercitus iter facit, solos Tricastinos et Vocuntios nominatim appellat, cum Livius XXI. c. 31 § 9 praeter eos etiam Tricorios afferat, Heynacherus ipse hoc discrimen libertati poetae condonandum esse concedit, qui non anxie omnia gentium nomina enumerare voluerit, atque eo magis quidem (ego addiderim), quod ,faciles campi', quos Silius iam ante ,rura Vocuntia' commemorat, veri specie ,haud umquam impeditam viam', quae secundum narrationem Livianam etiam ad Tricoriorum fines spectat, imitatione exprimunt. Sin autem idem Heynacherus apud Silium Druentiam contra atque apud Livium intra Vocuntiorum terminos fluere autumat, nimis ,hic' particulam in vs. 468 torquet, quae non ad ,rura Vocuntia' nos reicit, sed aliquid novi secuturum esse indicat et temporis notione, tamquam sit ,tum, deinde', praedita est; ut hic sensus evadat: Hannibal cum paulisper per loca expedita iter fecisset, tum subito ei viam obstruxit Druentia. Cuius fluvii naturam describens (vss. 468—476) aperte Livii (l. l. § 10—12) vestigiis insistit. Nam ,Turbidus . . . saxis . . Druentia' et ,adesi fragmina montis . . . volvens' idem est ac prosaici ,saxa volvens'; ,Alpibus ortus' = ,Alpinus amnis'; Ac vada translato mutat fallacia cursu' = pluribus simul neque isdem alveis fluens, nova semper vada novosque gurgites'; ,Non pediti fidus' = ,pediti quoque incerta

via'; ‚patulis non puppibus aequus' = ‚non tamen navium patiens est'; ‚Et tunc imbre recens fuso' etc. = ‚et tum forte imbribus auctus'. Est tamen, quod Heynachero scrupulos moverit: Silium multos gurgite abreptos facere, cum Livius nil de hac re tradiderit. Quod cur non liberum poetae addimamentum esse iudicari liceat, non assequor, praesertim cum poeta nil nisi Liviana ‚super cetera' (vs. praeter ‚trepidationem' et ‚incertos clamores', quibus Poeni fluvium transituri terrentur) prolata propria sua interpretatione accuratius explicaverit. At accedit alterum, licet Heynacherus non observaverit, quod Silius praeter saxa, quae amnis secum volvit etiam ‚truncos' et ‚avulsas ornos' commemorans a Livio videtur recedere. Hoc si re vera ita esset, ne tum quidem, cum alia et fortiora argumenta ad fulciendam hanc sententiam desint, de alio Silii fonte cogitarem. At qui Livius ipse, quod desideramus, nobis subministrabit. Nam quamvis historicum e poeta emendare velle paulo audacius videri possit, tamen ductibus litterarum corruptis, quibus apud Livium ‚saxa glareosa' traditur, nemo magnam vim inferat, si me proponente scribat ‚saxaque et arbores'.

III, 477—556.
Poeni Alpes ascendunt.

Tandem ad Alpes perventum est. Qui montes altissimi et immensis nivibus glacieque aeterna operti qualem impressionem militum animis effecerint (vss. 476—482), simili atque a Livio (XXI, c. 32 § 7) modo adumbratur. Nimirum res poetarum more variis calamistris et comparationibus, quantum fieri potuit, exaggerantur. Quantum enim Tartarus sub terram extendatur, tantum supra eam Alpes in caelum prominere dicuntur.[1]) In iis nec ver esse nec aestatem, sed hiemem perpetuam. Ibi nubium, nivium, tempestatum esse patriam. Oculos si quis tollat, prae immani magnitudine caecutire. Athon vero, Taurum, Ossam,

1) cf. Verg. Aen. IV, 445 sq. Val. Flacc. I, 580 sq.

Pelion aliosque montes alium alii impositos[1]) his molibus superari (vss. 483—495). Hanc descriptionem et quae ei similia Silius protulit, Heynacherus (diss. p. 23, 5 progr. p. 21, 6) cum eo connectit, quod Polybius III, c. 47 § 6—48 § 9 in nonnullos scriptores invehitur, qui Alpium transitum fabulis incredibilibus exornantes, ut lectores obstupescere non desinant, efficere velint. Nec tamen unum ex his auctoribus, quos Polybius perstringit, Silii fontem fuisse inde apparet, quod illis hoc praecipue et saepius quidem (c. 47 § 8 et 9, c. 48 § 7—9) opprobrio vertitur: eos asperitatem locorum, qui adiri non possint, tam immodicis coloribus depingere, ut vel deum vel heroem inducere cogantur, qui Hannibalem tantis difficultatibus liberet et vias ei monstret. Contra tantum abest, ut apud Silium dei Hannibalis incepto propitii sint, ut fines suos sacros profanari putent,[2]) si Hannibal eas arces intraturus sit, in quibus primus, immo ut non modo e toto narrationis habitu, sed etiam e versu XI, 218 comparato sequitur, solus antea Hercules pedem imposuerit (vss. 496—499); itaque milites pia verecundia, velutsi a natura ultra progredi vetentur, haesitant (vss. 500—502). Et fuerunt quidem historici, qui Alpes post Herculem ab Hannibale primo superatas esse traderent. Hoc et e Corn. Nepotis verbis, quae Hann. c. 3 § 4 facit ‚(Alpes), quas nemo umquam cum exercitu ante eum praeter Herculem Graium transierat' et ex Appiano apparet, apud quem Hannibal Syr. c. 10 Ephesi coram Scipione se iactat: *στρατῷ τὰ Ἄλπεια ὄρη μεθ' Ἡρακλέα πρῶτος ὑπερῆλθον.* Nec Cassius Dio fabulae videtur immemor fuisse, cum frgm. 54 § 10 (Dind. tom. I p. 85) diceret: *τάς τε Ἄλπεις πρῶτος ἀνθρώπων τῶν οὐκ Εὐρωπαίων, ὅσα γε ἡμεῖς ἴσμεν, σὺν στρατῷ διέβη.* Ut autem ideo necessarium esse existimemus Silii narrationem in tali scriptore niti, qui idem ac Nepos memoriae prodiderit,

1) cf. de hoc loco A. Zingerle Zu späteren latein. Dichtern II, 1879, p. 16 sq.
2) cf. XV, 529 sq. et XVII, 500 sqq.

nullo modo cogimur. Poetae potius Herculem aliquando Alpes transgressum nosse sat erat.[1]) Inde, ut partim Poenorum imperatorem heroica quasi specie indueret, partim audaciam eius modum humanum excedere et ipsos deos iniuria afficere ostenderet, ab Herculis temporibus neminis gradum illos montes tetigisse facile effinxit. Et quanto studio Silius religionem ab Hannibale nefarie laesam esse inculcare voluerit, e versibus 513 sqq. elucet, ubi ferociter et impie eum iussisse scribit: ne milites nota Herculis semita, sed sua incederent. Quae cum ita sint, poetam duces itineris, quos Polybius III, 50 § 6 et Livius XXI, c. 35 § 4 commemorant nec Silius Heynachero iudice (l. l.) omittere potuisset, si eundem fontem secutus esset, utique praeterire debuisse nemo non videt. Nam si eos retinuisset, in meras ineptias incidisset, cum praesertim fictionis, ut ita dicam, nebula, quae lectoris oculis obducta est, iam proeliis in iugo Alpium cum barbaris factis (de quibus infra) discindatur.

Allocutionis cogitata, qua Hannibal multitudinem paventem[2]) adhortatur et accendit (vs. 503—511) e dictis variis, quae Livius et Polybius Carthaginiensium imperatori tribuunt, sublecta sunt. Sic si milites ad res prius ab iis feliciter gestas et gloriam diis faventibus[3]) bello partam provocat, eadem occurrunt ap. Polyb. III. 44 § 10 sq. et ap. Liv. XXI, c. 30 § 2 sqq. c. 45 § 13. Itaque pudeat eos, ait, si velint ‚dare terga nivosis Montibus et segnes submittere montibus arma' i. e. idem facere quod Livius c. 30 § 6 ‚in ipsis portis hostium fatigatos subsistere' appellat, cum Polybius l. c § 12

---

1) cf. Liv. V, 34, § 6 ‚Alpes . . . nulladum via' (sc. anno 391 a. Chr. n.) — ‚nisi de Hercule fabulis credere libet — superatas' et XXI, 41, § 7 ‚Hannibal . . aemulus itinerum Herculis, ut ipse fert'. Plin. N. H. III, c. 17, § 123 ‚Graiis' (sc. Alpibus) ‚Herculem transisse memorant'. Petron. carm. de bell. civ. vs. 144 sq. ‚Alpibus aëriis, ubi Graio numine pulsae descendunt rupes'.

2) cf. Liv. XXI, c. 29, § 7.

3) vs. 506 ‚obsequio superûm' cf. Polyb. III, 111, § 3 *ἐκεῖνοι* (sc. *θεοὶ*) *γὰρ ἡμῖν συγκατασκευάζοντες τὴν νίκην* (Hannibal ante pugnam Cannensem contionatur).

ieiune haec ponat *διόπερ ᾤετο δεῖν ἄνδρας ἀγαθοὺς γίγνεσθαι καὶ τῶν προγεγονότων ἔργων ἀξίους*. Nam ,Nunc, o nunc, socii, dominantis moenia Romae Credite vos summumque Jovis conscendere culmen', pergit Hannibal itaque cum cogitationibus suis a Livio c. 35 § 9 sic prolatis ,moenia eos tum transcendere non Italiae modo, sed etiam urbis Romae' consentientem se praestat. Nec frustra promisit (vs. 512), sicut etiam apud Polybium (l. c. § 13) multitudo laetis ei vocibus acclamat et apud Livium (l. c. § 10) denuo progredi incipit. Praeterea ab hoc Silius coniunctionem verborum, quae sunt ,agmen Erigit' (vs. 512. 513) mutuatus est, cum Liv. c. 32 § 8 legamus ,erigentibus in primos agmen clivos'.[1]) Deinde Hannibal omnes praecessisse et de alta rupe ad se vocasse (vs. 516 sq.) aequo modo dicitur quo apud Liv. c. 32 § 13 primus cum audacissimo quoque exercitus loca superiora occupat et c. 35 § 8 ,praegressus signa' in montis cacumen quoddam eminens procurrit. Etiam viam levem et lubricam fuisse (vs. 518 sq.) et Livius pluribus locis[2]) dicit et Polybius c. 55 § 4, quamquam tum demum, ubi de descensu agunt. Contra militum vestigia nive liquefacta demersa et ipsos nivium molibus delatis obrutos esse (vs. 521. 522) neuter quidem diserte tradit, quamquam apud Liv. c. 35 § 6 sq. ,nivis casus' et ,per omnia nive oppleta[3]) cum . . . agmen incederet' occurunt et c. 36 § 6 sq. ,tabes liquescentis nivis' et ,tabida nix' commemorantur. Inde autem cum Heynachero l. c. Silium alios adhibuisse fontes minime concludi potest. Homines enim in Alpibus saepius nivibus devolutis obrui et perire, sine dubio Romae etiam pueris notum erat. Quidquod Silius ipse forte talia vidit?[4]) Nam cum iam Polybio,

1) Ceterum hoc Livio frequentatius: cf. e. g. XXV, 36, § 8.

2) c. 35, § 12 et c. 36, § 6 sq.

3) cf. Polyb. c. 54, § 1 *χιόνος περὶ τοὺς ἄκρους ἀθροιζομένης* et c. 55, § 8 *ἐπιγινομένης δὲ χιόνος*.

4) cf. quae Blassius disputavit ann. Fleckeis. 1874, p. 482 sq. Et iam veteres scholiastas nonnumquam de poetis *αὐτόπταις* earum, quas versibus describunt, rebus cogitasse patet ex vetusta ad Stat.

ut ipse III, 48 § 12 testatur[1]) Alpes visere licuerit, quanto facilius id fuit Silii temporibus, ubi tot viae commerciis hominum utiles munitae erant.[2]) Et quam saepe Alpes a Romanis superatae sint, etiamsi veteres iucunditatum, quibus sensus nostros Alpium regionumque montanarum aspectus afficit, ignari fuerunt, Friedlaender docet Darstell. aus der Sittengesch. Roms II² p. 132. Sed iam ad versus 523—527 Heynacherus animum convertit et nobis obicit ‚der plötzlichen Windstösse in der Schweiz, des Föhn gedenkt von allen Quellen Silius allein'. Cui argumento opponendum: Silium tempestatem huc ascivisse et imitando expressisse, quae Livio teste (XXI, 58) Hannibalem, ut de Appennini transcendendi conatu primis et incertis veris ineuntis indiciis suscepto desisteret, coegit. Ut enim apud Silium dicitur ‚Corus in media ora nives . . . agit', ita apud Livium § 3 ‚vento mixtus imber cum ferretur in ipsa ora' et § 8 ‚tantum nivosae grandinis'; ut apud illum ventus viris arma abripit eaque turbine torquens in nubes sublime agit, ita apud hunc reperimus § 3 ‚aut arma omittenda erant, aut contra enitentes vertice intorti affligebantur', § 7, omnia perscindente vento et rapiente', § 8 ‚ut omnibus omissis procumberent homines tegminibus suis'. Denique si milites, postquam sudantes et nitentes in ardua ascenderunt iuga, in valles relictas et immensa altitudine distantes despicere vix audent atque, ut nautae in oceano circa se nil nisi aquam, ita nil nisi loca nivium et glaciei plena vident (vs. 529—539), hae cogitationes unicuique similia narranti facile obtruduntur et tam bene cum scriptorum enuntiatis, qualia sunt vel ‚animalia inanimaque omnia rigentia gelu, cetera visu quam dictu foediora' (Liv. XXI, 32 § 7) vel *τῶν γὰρ Ἄλπεων τὰ μὲν ἄκρα καὶ τὰ πρὸς τὰς ὑπερβολὰς ἀνήκοντα τελέως ἄδενδρα καὶ ψιλὰ πάντ' ἐστὶ διὰ τὸ συνεχῶς*

Theb. V, 279 adnotatione hac ‚hoc enim poeta fecit vel vidit superstitem locum, cum iuvenis peregrinaretur'.

1) cf. c. 59, § 7.

2) cf. Friedländer Darstell. aus d. Sittengesch. Roms II² p. 3 et 6.

ἐπιμένειν τὴν χιόνα καὶ θέρους καὶ χειμῶνος (Polyb. III. c. 55 § 9), consentiunt, ut, quomodo Heynacherus inde, quod ‚Silius allein die einförmigen grauen Eisfelder schildert, usum aliorum fontium eruere potuerit, prorsus non intellegam.

Qui versus proximi adiunguntur, 540—549, iis pugnae cum gentibus Alpinis factae et tam a Polybio III, c. 50, § 2—51, § 10 et c. 52 § 3—53 § 8 quam a Livio XXI, c. 32 § 8—35 § 3 accuratissime relatae strictis et paucis verbis describuntur. Attamen ne sic quidem poeta ad Livii verba alludere desinit: ut e. g. e versu 542, si ornamentum poeticum demas, Livii ‚homines intonsos et incultos' (c. 32 § 7) facile recognoscas et verba legens, quae sunt ‚Alpina . . manus a d s u e t o . . vigore Per dumos notasque nives . . . infestat hostem' (vs. 544 sq.) Liviana ‚diversis rupibus iuxta in invia ac devia a d s u e t i decurrunt' (c. 33 § 4) memineris. Nec idem historicus c. 36 § 8 nec Polybius c. 55 § 5 equos in glacie pertusa quasi vinculis retentos (vs. 550 sq.) omiserunt. At multorum membra frigore ambusta esse de suo libere annectit (vs. 552 sq.), ut Heynacherum hoc ad sententiam suam confirmandam non attulisse mirari liceat.

D u o d e c i m o die in summas Alpes perveniunt et castra ponunt (vss. 554—556). Hic numerus contra certa Polybii (c. 53 § 9) et Livii (c. 35 § 4) testimonia, qui n o n o die Hannibalem in culmine fuisse tradunt, nil valet. Concedo tamen Heynachero (diss. p. 23, 6, progr. p. 21, 7) nec praefracte nego eundem ac Silii numerum ab aliis etiam tradi p o t u i s s e. Verum enim vero non desunt, quae ne hoc pro re certissima asseveretur, faciant. Nam, ut taceam aliquem, qui paragraphum Polybii modo laudatam neglexerit ex cetera eius narratione duodecim dies in Alpibus ascendendis Hannibalem consumpsisse facile posse conicere,[1])

---

1) Apud Polybium enim III, c. 50 § 5 Hannibal statim ascensus initio, cum barbaros locis superioribus potitos videat, castra ponit. Tum illos noctu se recipere comperit (§ 7). Unde eum unam noctem, priusquam interdiu rursus progrederetur et castra hostibus propinquiora

numerum, qui est duodecim, typica quadam et **poetica** esse notione itaque crebro iam ab Homero usurpari exposuit Lehrsius (popul. Aufs.[2] p. 236 sqq.). Eadem haec grata numeri species non modo, ut ad deorum coetum apte complendum novem numinibus principio a Graecis maxime cultis tres novi adderentur, effecit,[1]) sed etiam, ut poetae saepius carmina sua duodecim libris includerent, quod sicut in Vergilii Aeneide Statiique Thebaide videmus, ita de Valerio Flacco Heinsii exemplo (cf. Thilo proll. ad Val. Flacc. p. XXXIX) contendit Baehrensius praef. ad Val. Flacc. p. IV nec sine veri similitudine de Lucani Pharsalia aliquis sibi persuadeat. Accedit quod noster, cum plerisque epicis Latinis consentiens, vix ullum numerum praeter ,centum' et ,mille' simpliciter posuit, sed fere ubique per partium distributionem et multiplicationem expressit. Hoc autem modo si ,novem' tractare voluisset, ,ter ternorum' dissona coniunctio evenisset. Itaque ,bis senos' adhibuit, qui verborum connexus poetis epicis usitatissimus erat, ut docent exempla:

---

collocaret (§ 8), praetermisisse haud aegre, ut statuamus, pellicimur. Et ipsam hanc interpretationem Livius XXI, c. 32 § 10 sq. secutus est, quamquam, si accurate rationem subduxeris, bis castra uno die Hannibali metienda fuisse invenies. Sed ponamus duos dies intercessisse. Tum, cum secundum Polyb. c. 50 § 9 Hannibal noctu per viros idoneos angustias occupet, et secundum c. 51 § 1 dies appetat, quo cum barbaris pugnatur et oppidum eorum munitum capitur, tertius dies erit. Quartus sequetur is, quem Hannibal ibi moratus esse dicitur (c. 52 § 1). Deinde si verba *ταῖς δ᾽ ἑξῆς μέχρι μέν τινος ἀσφαλῶς διῆγε τὴν στρατιάν, ἤδη δὲ τεταρταῖος ὢν εἰς κινδύνους παρεγένετο μεγάλους* (§ 2) de quattuor diebus adiectis explicabimus, tempus a quinto usque ad octavum diem praeterlapsum evadet. Nonum arcessemus, si e verbis paragraphi sextae *πολὺν μὲν χρόνον ηὐλαβεῖτο καὶ διηπίστει τοῖς λεγομένοις* Hannibalem non eodem die, quo barbari fallaces condiciones obtulerunt, sed proximo demum pacem cum iis composuisse concludemus. Accedent decimus et undecimus inde, quod Poeni *ἐπὶ δύ᾽ ἡμέρας* proficiscuntur (§ 8) priusquam hostes eos aggredi audent. Sequens denique, quo barbari recedunt et Hannibal *προῆγε πρὸς τὰς ὑπερβολὰς τὰς ἀνωτάτας τῶν Ἄλπεων*, duodecimus erit.

1) cf. Lehrs ib. p. 250.

Ov. ex Ponto IV, 9, 4; Panegyr. in Pison. 20 et 70; Senec. Agamemn. 813 (Leo); Val. Flacc. IV, 93; Stat. Theb. VI, 125, XII, 811; Sil. III, 67, VIII, 484; Mart. epigr. VII, 53, 3, IX, 50, 3; Auson. idyll. IV, 63. Bipont. atque etiam ibi saepius invenitur, ubi optio cuiuslibet numeri eligendi data erat, velut Verg. Aen. XI, 133. Stat. Theb. II, 307, III, 574. Achill. II, 120 (Kohlmann = 396 vulg.),[1]) quem versum forte Silius X, 492 respexit, ut Cloeliae Tiberim transnantis aetatem alibi, quantum ego quidem scio, non traditam definiret. Ceterum talis temporis apud poetas amplificatio non sine exemplo est. Nam simili modo Lucanus IX, 940 sq. duos menses Catonem per loca Libyae deserta errasse tradit, cum Strabo in ultimo libro (c. 3 § 20 = p. 836 extr.) triginta dies, immo Plutarchus (Cat. min. c. 56) non nisi septem agnoscat.

III. 630—646.

Hannibal in Italiam descendit.

Restant ex hoc libro tractandi versus 630—646, quibus haec fere continentur: Hannibal de montibus inviis descendit et paulatim post loca lubrica solido insistere incipit. Nullus iam hostis ei instat[2]) aeque ac Livius c. 35 § 10 ,nihil ne hostibus quidem . . . temptantibus' dixit. Itaque arboribus caesis ignis accendendus est, ut saxa calefacta ferreis instrumentis comminuant, quod pari modo a Livio c. 37 § 2 sq. describitur.[3]) Sic sibi aditu regni Latini aperto

1) cf. etiam ,bis sex' ap. Verg. Aen. XI, 9. XII, 163, 899, quorum locorum primo et tertio quilibet numerus poni potuit, et praeterea Burmann. indic. Ovidian. p. 60 s. h. v.

2) Sine necessitate verba ,Non acies hostisve tenet' (vs. 634), offendens pleonasmo, quo nihil frequentius apud Silium, et obiectum facile supplendum desiderans Chory l. l. p. 37 mutat in ,non acies' (acc. plur.) ,hostis retinet'.

3) cf. App. Hann. c. 4 *τὴν μὲν ὕλην τέμνων καὶ κατακαίων . . . καὶ τὴν πέτραν ἐκ τοῦδε ψαφαρὰν γιγνομένην σφύραις σιδηραῖς θραύων*, Amm. Marcell. XV, 10 § 11, Tzetzes. Chiliad, I, 78 (ex Diodoro. Dind. Diod. tom. IV, p. 350) *καὶ τούτων (τῶν Ἄλπεων) τὰ δυσείσβολα καὶ*

in Taurinorum finibus tabernacula tendunt. Hoc Silius et ipsum e verbis Livii (c. 38 § 5) ‚Taurini Galliae proxuma gens erat in Italiam degresso' desumpsit. Itaque in re, quam ille inter auctores constare dixerat, acquiescendum esse ratus, quam manifesta ea cum veri similitudine pugnaret, non vidit. Nam re vera Hannibalem Taurinos primos adiisse vix credendum est, cum Taurinos ei infestos fuisse ipse Livius c. 39 § 4 concedat, Insubres autem, quorum fines primos Polybius (c. 56 § 3) eum ingressum facit, iam c. 25 § 2 spe Poenos mox adventuros esse freti arma contra Romanos ceperint.[1])

IV, 1—354; 401—479.
Pugna Ticinensis.

Primus libri quarti locus, de quo disputandum nobis est, amplectitur versus 1—354. Horum initio quantum terrorem populo Romano nuntius de Alpibus a Poenis superatis iniecerit, ut anxius unusquisque ad tela moeniaque reparanda accurrerit et omnia sua ex agris in tutum urbis confugium collegerit, describit poeta (vss. 1—32). Sunt cogitationes, quales facile vim timoris depingenti obveniunt, quarum tamen ad reficienda arma spectantes non semel tantum alludunt ad Statii Theb. III, 580 sqq. et praecipue Achill. I, 412—437, quod inter ceteras mutuationes a commentatoribus animadversas non adnotatum invenio.[2]) Ceterum

---

πέτρας κατατέμνων. Id, quod Heynacher. (diss. p. 23 = progr. p. 21). Silium et Livium non item ac Polybium, Appianum, Zonaram commemorasse scribit Hannibalem iam inopia pressum esse, Livius quidem XXI, c. 37 § 4 hisce adumbrat ‚iumentis prope fame absumptis.

1) cf. Weissenborn. ad c. 38 § 6 et c. 39 § 1—2.

2) Licet enim Ritschelius indic. lect. Bonn. 1857/58 p. IV (= opusc. III p. 598). Statium ‚imitatorem Silii' appellet et Blassius ann. Fleckeis. 1874 p. 498 et 505 sq. in eandem sententiam inclinet, tamen non obliviscendum est, quod idem Blass. l. c. p. 490 sqq. monet, in poetis aequalibus difficillime, quis quem ante oculos habuerit, esse diiudicandum. Et infra quidem exemplum ponam, ubi, siquidem ratio inter locos Statii et Silii ibi proferendos intercedit, hic potius illum videtur respexisse.

in his involucris poeticis et nonnulla, quae apud Livium in prima belli Punici secundi parte, etiamsi non eodem rerum gestarum loco, leguntur, deprendere liceat, velut ducem ‚aemula .. Herculei iactantem facta laboris' (vs. 4)[1]) Silius ad exemplum locutionis Livii, an dicam Scipionis, conformavit, a quo ‚Hannibal. aemulus itinerum Herculis' (XXI, 41 § 7) orationi intexitur, velut munitio et refectio murorum et turrium (vs. 20 sqq.) ex imperio senatus post pugnam ad Trasumennum commissam Fabio et Minucio dato, ut muros turresque urbis firmarent et praesidia disponerent (Liv. XXII, 8 § 7) commode sumi potuit, velut narratio de campis in urbem concurrentium (vs. 25 sq.) fortasse originem debet verbis Livianis (XXI, 57 § 10) ‚tum terror populationum eo' — Victumias in emporium — ‚plerosque ex agris compulerat' et ‚tradunt metus' (vs. 32) dictum est ut ap. Livium (XXII, 7 § 8) ‚alius ab alio rumoribus impleti.' Solus senatus, pergit Silius vss. 33—38, imperturbatus eo immotiore constantia rebus adversis obnixus est. Haec sententia, siquidem omnino scriptis fontibus nititur, e Polybio manasse videtur. Is enim scriptor, quem quamvis ob aridum et ieiunum dicendi genus poeticae tractationi minime aptum esse concedo, tamen a Silio legi et hinc inde, ubi commoda praebuit, excerpi potuisse non prorsus negaverim,[2]) cum saepius, quod Livius nusquam tam expresse oculis nostris subicit, velut III, c. 61 § 9 et § 12, c. 75 § 4 terrorem et consilium, trepidationem et firmitatem Romanorum inter se opponit, tum III, 85 § 10 haud secus quam Silius *οὐ μὴν ἥγε σύγκλητος* ait (*τὴν περιπέτειαν οὐ μετρίως ἔφερεν*) *ἀλλ' ἐπὶ τοῦ καθήκοντος ἔμενε λογισμοῦ καὶ διενοεῖτο περὶ τοῦ μέλλοντος, πῶς καὶ τί πρακτέον ἑκάστοις εἴη.* Quam facile vero obvia sint talia, patebit, si eandem quam Silius vs. 37 sq. profert sententiam, patres

---

1) cf. etiam Sil. IV, 63 sq.

2) Sed hoc non ita intelligi velim, ut, ubicunque congruentia inter Polybium et Silium solos intercedit, hunc ex ipsis illius libris hausisse censendum sit.

Romanos in rebus arduis sibi fortitudine voluisse ,condere nomen Quale dedit numquam rebus fortuna secundis' apponam ex Orosio, qui dicit IV, 6 extr. ,apud quos' (sc. paganos, Romanos) ,summa mala pro summis bonis aestimata sunt, ut gloriam famae celebrem atque illustrem consequerentur.'

Interim Hannibal copias via et laboribus fessas in Gallia Cisalpina otio recreat, ipse tantum inquietus et ea iactans, quae ap. Livium in Alpibus ab eo dicta h. l. etiam apertius Silius versibus expressit quam III, 509 sqq., et Gallos omni modo in suas partes trahens. In hac poetae narratione (vss. 39—50) verborum quidem forma e duabus corruptelis labem traxisse, res vero sine causa in suspicionem venisse mihi videntur. Et quod ad prius attinet, Schraderus, cuius ad Silium emendationes publici iuris fecit Hauptius *in* Hermae tom. IV (1869/70) p. 345, recte in vs. 45 pro ,Armiferae quondam prisca inter tempora gentes', quia sine additamento minime ut XV, 172, quem locum male arcessunt editores, clarum est, quos populos poeta intelligat, proposuit ,Armiferae Senonum'; deinde autem in vs. 49 loco verborum ,hic dum sollicitat donis', quae obiectum desiderant, ,has' (sc. gentes) ,dum' scribendum iudico. Iam si ad res nos vertimus, Heynacherus (diss. p. 24 nr. 9 = progr. p. 21 nr. 9) ad versum 50 adnotat, Gallos in pugna Ticinensi apud Silium in parte Hannibalis, apud Livium in Romanorum exercitu pugnare: qualem discrepantiam fieri non posse, quin e diversis, quos uterque scriptor secutus sit, fontibus derivetur. Sed primum nec Polybius nec Livius negavere Gallos ante pugnam ad Ticinum commissam ex Italia superiore in castra Hannibalis pervenisse. Quin et ille III, 44 § 5 *sqq.* *τοὺς βασιλίσκους τοὺς περὶ Μάγιλον* . . *ἐκ τῶν περὶ τὸν Πάδον πεδίων* et hic XXI, 29 § 6 ,legatos Boiorum regulumque Magalum' advenisse et duces itineris se obtulisse tradunt.[1]) Quis igitur poetam arguat, quod omnia vividioribus coloribus pingens, ex legatis iam pugnatores fecerit

1) cf. Polyb. III, c. 48 § 11. c. 50 § 6. Liv. XXI, 32 § 9. — Adde, quod Polyb. post urbem Taurinorum ab Hannibale captam tradit

et de Gallis equitibus, Romanorum exercitum haud sponte[1]) sequentibus silentium observaverit, praesertim cum ex iisdem scriptoribus animos Gallorum dominationi Romanorum adversos et Poenis faventes fuisse sciret?[2]) Neque vero adeo longe a narratione historicorum recedit: nam praecipue e Gallorum populis praeter Senones (vs. 160) Boios (vss. 148, 159) Ticinensis proelii participes facit, eandem gentem, cuius nuntios Poenis obviam ivisse apud Livium legerat et contra quam ob novam seditionem[3]) missum Romanorum exercitum Scipio, cum ad Ticinum tenderet, ab Manlio Atilioque praetoribus accepit.[4]) Id vero ipsum ostendit totam rem esse figmentum poeticum. Nam Hannibal prope Ticinum pugnans nondum se coniungere potuit cum Boiis[5]) et Senonibus trans Padum Appeninum et meridiem versus habitantibus.[6]) Denique poetam nec ipsum ignorasse Gallos quosdam apud Romanos relictos esse patet ex catalogo

---

c. 60 § 10 *τοιοῦτον ἐνειργάσατο* (sc. *Ἀννίβας*) *φόβον τοῖς ἐγγὺς κατοικοῦσι τῶν βαρβάρων, ὥστε πάντας ἐκ χειρὸς παραγίνεσθαι διδόντας αὑτοὺς εἰς τὴν πίστιν* et cf. Ihne hist. Rom. II, p. 154.

1) cf. Pol. III, 60 § 12.

2) cf. Pol. II, 14 § 2. III, 34 § 2 sq. 44 § 6. 54 § 3. 60 § 13. Liv. XXI, 39 § 5. Non puto nos cum Heynachero (progr. p. 22, 12). Silianae relationis declarandae causa confugere debere ad Pol. III, 68 § 10, ubi Romae nonnullos audita prima clade *τὴν τῶν Κελτῶν ἐθελοκάκησιν* culpasse legimus; quibus verbis ne comprobatur quidem fuisse ante Silium auctores Romanos, qui Gallos pugna Ticinensi in Poenorum partibus stetisse narraverint. Etiamsi enim *ἐθελοκακήσεως* notionem adeo extenderemus, ut *αὐτομολίαν* ei subsumeremus, iam nihil consequeretur, quam ut ab initio Galli in Romanorum exercitu fuerint.

3) vd. Pol. III, 40 § 6 sqq. Liv. XXI, 25 § 2.

4) Pol. III, 56 § 6. Liv. c. 39, § 3. Appian. Hannib. c. 5.

5) Si Schnelle ‚Ueber die Schlachten am Ticinus und an der Trebia' progr. Hamm. 1865 p. 9 dicit ‚Das konnten sie (Boii) doch nur dann wagen, wenn die karthagischen Truppen bereits auf ihrem östlich der Trebia liegenden Gebiete standen', hoc enuntiatum in res a Silio fictas quadrat, non item recte arcessitum est ad ea probanda, quae vir doctus l. l. demonstrare studet.

6) cf. Pol. II, c. 17, § 7.

sociorum populo Romano ante pugnam Cannensem succurrentium, inter quos et VIII, 589 ‚Eridani gentes' recenset, et quod post infelicem eius eventum Gallos ad Carthaginienses deficientes facit XI. 25 sqq.

Hic igitur male morosum Heynacherum non offendisse in versu 49, ubi Hannibal ‚donis solicitasse'[1]) Gallos dicitur, quamquam nec Polybius III, 60 § 11 nec Livius c. 45 § 3 talis rei mentionem faciunt, licet mirari. Sed tam saepe Livius Gallos esse gentem avidam et pecunia facile corrumpi inculcaverat[2]) ut ego quidem nil magis putem consectarium quam id huc transferre et fingere etiam tunc temporis Hannibalem eodem modo eos pellexisse.

Iam repentino saltu poeta a Massilia Scipionem, quem antea nullo verbo commemoraverat, reducem et contra Hannibalem tendentem facit (vs. 51 sq.) atque hoc adeo festinanter, ut iam post pauxillos versiculos Carthaginienses hostem vidisse fingat,[3]) fingat, inquam, quia de toto quidem Hannibalis exercitu hoc minime valere posse Silii ipsius narratio ostendit. Nam vs. demum 81 Romanos ad Ticinum profectos esse et vss. 94 sqq. non prius adventum hostium ex pulvere orto animadvertisse memorat, quam cum postero die exploratum irent. Si statim conspectis adversariis Poeni alacres proelium flagitasse dicuntur (v. 58) hoc respondet dicto Hannibalis ap. Liv. XXI, 44 § 1 ‚plena omnia video animorum' et fervori militum eius, qui ib. 45 § 9 ‚proelium uno animo et voce una poscunt'. Quae cum ita essent, Hannibal pauca adnectit, ut, quam bene usque ad id tempus res sibi cesserint, in mentes militibus revocet (vss. 59—66) H. l. Heynacherus (diss. p. 24, 10 = progr. p. 21, 10) bis offendit: et primum quidem quod Hannibal ante Scipionem loqueretur, cum Livius Romano priorem

1) eadem duo verba usurpat Liv. XXI, c. 48 § 2.

2) e. g. XXI, 20 § 8. c. 23 § 1, c. 24 § 5, c. 26 § 7, cf. XXIII, 28, 5 sq.

3) simili ac Livius exsuperatione dixit XXI, 39 § 7 ‚iam prope in conspectu erant exercitus'.

locum dedisset. Sed quam saepe tales transpositiones in ipsis scriptoribus, etiamsi alius de alio in ceteris dependet, occurrunt! Sic si Polybii III, c. 74 § 9—11 cum Livii XXI. 56 § 6 et 7, qui illum aut ipsum aut certe eandem memoriam sequi manifestus est, comparare placeat, extemplo exemplum habeas.[1]) Deinde autem tam accuratam poetae cum historico congruentiam non postulabit nisi is, qui singulas prosae orationis partes gradatim in versus poetam convertisse statuat. Praeterea apud Polybium III, c. 64 et 65 (et Zonaram VIII, 23 v. f.) ipsum Silianum narrandi ordinem invenimus; et ap. Livium, priusquam Scipio ad castra hostium speculanda proficiscitur (c. 46 § 3 sqq.), Hannibal iterum contionatur (c. 45 § 4--8), quo facile turbari potuit poetae memoria. Alterum, quod Heynacherus monet, argumenta Hannibalis orationum spectat. In brevibus enim et ieiunis verbis, quae Silius et hic et alibi Hannibali dedit, cum copia Liviana collatis, investigasse sibi visus est fontem Romanum, qui de rebus in castris Carthaginiensium gestis parum edoctus fuisset. Ponamus igitur Silium Livii annales et intextas eisdem orationes non legisse? Hoc certe idem esset ac si nostrorum aequalium aliquis carmen heroicum de bello triginta annorum vellet condere nec nosceret Schillerum, vel si aliquis, qui eruditorum numero accenseri velit, omnino non eos libros legisset, quos hominem vere eruditi nomine dignum legere decet. Si semper easdem cogitationes et adhortationes Poenorum duci subicit poeta, cur non hoc nativo cuidam ingenii languori et iudicii inopiae tribuamus[2])? Quid, quod nec Scipio, cuius res gestas Romanum illum auctorem accuratius accepisse exspectaremus, maiore quam Hannibal loquendi ubertate utitur? Nam etiamsi ad excusandum poetam afferre possi-

---

1) Sed cf. etiam Binder. in ann. Fleckeis. 1855, p. 737 sq.

2) Beitr. z. Sulzers allgem. Theorie d. schön. Künste VII, p. 375 ‚Silius schwacher und untergeordneter Genius', quod iudicium, licet Kortuem geschicht. Forsch. p. 232 hanc commentationem ‚vielfach ungerecht' vocet neque ego id negem, non vereor, ne sit nimis severum.

mus Scipionem apud Livium tertia orationis parte (c. 40 § 1 — § 4 et c. 41 § 1 — § 5) milites monere se in Hispaniam missum, ubi ad Rhodanum cum Poenis conflixisset, statim inde in Italiam ut Hannibali occurrreret, iter deflexisse, quarum rerum ideo apud Silium mentionem facere non potuit, quia poeta eas silentio praeteriit, tamen multa alia et Livius profert et eo magis auctor talis, qualem Heynacherus huc ascivit, prolaturus fuisse censendus est, quae commode Silium versibus iniungere potuisse nemo negabit. Accedit, quod nulla de alio fonte coniectandi ansa datur quam de Polybio et Livio, cum fere una quaeque cogitata ex illis decerpta sint. Et primum quidem mirum, quantum totus orationis Hannibalicae habitus respondeat argumento adhortationum, quas Polybius illi imperatori post Rhodanum traiectum tribuit, cum diceret III, 44, § 10 *τῶν προγεγενημένων πράξεων ἀνέμνησε τοὺς ὄχλους, ἐν αἷς ἔφη πολλοῖς αὐτοὺς καὶ παραβόλοις ἔργοις καὶ κινδύνοις ἐπιχειρηκότας ἐν οὐδενὶ διεσφάλθαι.* Deinde quod ad singula attinet ‚Debellata procul' (sc. esse), ‚quaecunque colantur[1]) Iberis' (vs. 59) comparandum est cum Liv. XXI, 30 § 2 ‚neque ante Hispania excessisse' (sc. Carthaginienses), ‚quam omnes gentesque et terrae . . Carthaginiensium essent' et c. 43 § 15, ubi se ipsum Hannibal ‚domitorem Hispaniae' iactat; ‚non Pyrenen Rhodanumve ferocem Jussa aspernatos' (vs. 61 sq.) est Livianum (c. 30 § 5) ‚Pyrenaeum saltum . . superatum, Rhodanum, tantum amnem, . . . traiectum;' Raptum per Celtas iter' (vs. 63) conferre iuvat cum Liviano (c. 43 § 13) ‚per tot ferocissimos . . . Galliae populos vincentes huc pervenistis', et quae sequentibus de Alpium transitu ludit Silius, cum ostentatione Hannibalis ap. Liv. c. 43 § 15, ubi ‚victorem . . ipsarum . . . Alpium' se appellat. Et idem cadit in orationem Scipionis (vss. 67—80). Nam praeter vss. 68 sq. et 78 sqq. iam recte a Rupertio ad

---

1) Sic correxit Schrader pro ‚vocantur' (Herm. IV, p. 345) cum magna veri similitudine et simplicitate: et quot nugas hoc loco tentando peperit Withofius (Rupert. addend. et corrigend. p. 198)!

imitationem Patavini relatos etiam, quod optat dux Romanus, ut fugituris hostibus Alpes obsistant (vs. 74 sq.), ex Hannibalis verbis ap. Liv. c. 43 § 4 ‚ab tergo Alpes urgent' depromi licuit nec, si ‚Huc egere dei' (sc. hostes) vs. 76 Scipio exclamat, multo alio colore Livius ib. § 11 ‚deos ipsos .. committere et profligare bellum' dixit. Denique cur non poeta captivorum Gallorum certamen, quod Hannibal militibus suis exemplum fortiter pugnandi ante oculos ponit[1]), quamvis presso pede Livium sequeretur, libere omittere potuerit (cf. Heynach. l. l.), ne nimis de incepto digrederetur neve ambagibus se implicaret, non assequor, cum praesertim Carthaginienses, quod Livius[2]) post spectaculum illud demum memorat, iam inde ab initio accensos ad dimicandum comminiscatur?

Copiis admonitis Scipio ‚agmen Ticini flectit ad undas' (vs. 81),[3]) quem pellucidum fluvium lente sub umbrosas arbores labentem (vss. 82—87) poetam ipsum vidisse et ea de causa tam accurate descripsisse crediderim.[4]) Sed ex una parte luculentus, ex altera quam maxime impeditus, cum aliam nullam iudicandi materiam praebeat quam locutionem illam commemoratam, nos plane in dubio relinquit, qua in ripa Ticini pugnatum sit, simul vero difficili de hac re disputandi opera levat. Hoc consulto forte fecit, quia e scriptorum relationibus non ad sat certum iudicium pervenire potuit. Nam quamvis quaestionem post aliorum hominum doctorum operam nunc Pöhlii[5]) et Muelleri[6]) accuratis disputationibus, qui uterque, hic illum ignorans, in eandem sententiam convenere, absolutam putem, hoc tamen

---

1) Polyb. III, 62 § 2—11. Liv. XXI, c. 42. Cass. Dio. frgm. 57 § 1 (Dind. I, p. 89 sq.) et ex eo Zonar. VIII, 23 s. f.

2) et Pol. III, 63 § 14.

3) cf. Liv. XXI, c. 39 § 10.

4) cf. supra p. 71. adnot. 4.

5) ‚De pugna ad Trebiam flumen commissa quaestiones criticae' diss. Hal. 1872, p. 6—17.

6) ‚Noch einmal die Schlacht an der Trebia' progr. gymnas. Conitz. 1876, p. 5—8.

non nisi diligenti et sagaci interpretatione narrationis minime dilucidae, de qua multi viri docti, quamquam eodem fundamento nitentes, in diversas partes discesserunt, contigit.

Multo mane consul cum equitibus provehitur (vss. 89 sqq.); quam temporis definitionem quamvis pro poetico traditi ornamento accipere liceat, tamen haud scio an recordatio sit aut ipsius Polybii, apud quem III, 63 § 14 Hannibal *τῇ ἐπαύριον ἀναζυγὴν ἅμα τῷ φωτὶ παρήγγειλε* aut alius scriptoris, ut ita dicam, Polybiani. Cum Poenorum dux idem in animum induxisset (vss. 92 sqq.), brevi post, ut apud Livium, quem iam recte comparaverunt veteres editores, et Polyb. c. 65 § 4, pulverem ab equis excitatum utrique vident et proelium parant. Hic si duces ,Arma, viri, capite arma, viri' clamasse finguntur (vs. 98) — nam quidquid disputavere Heinsius, Rupertius, Thilo[1]) ,rapite' efficacius esse, ,capite' est lectio Coloniensis, loco statim nominando confirmata — sine dubio auribus poetae inhaesit Hannibalicum illud ,arma capite' ap. Liv. XXI, 43 § 7.

Sed priusquam in certamen ipsum descenderent, subito prodigium obvenit (vss. 103—120): per sudum enim accipiter de alto caelo se praecipitans sedecim columbarum turbam dissipavit ac iam praeter unam omnes necaverat, cum aquila superveniens avem rapacem fugat et, postquam haud semel laetum clamorem edidit, filii consulis casside leviter tacta in nubes avolat. Hoc omen, quia Livius c. 46, § 2 duo alia enumerat, Heynachero (diss. p. 24 nr. 11 = progr. p. 21 nr. 11) causa fuit, ut rursus fontem cum Liviana narratione pugnantem deprehenderet. Sed futilis mihi videtur haec ratio. Nam cur poeta h. l. tradita abiecerit, nemini dubium esse potest, qui deliberat, ei ante initum primum, quod quidem descriptione dignum habuit, cum Romanis proelium non illis prodigiis tristem pugnae Ticinensis exitum portendentibus opus fuisse, sed potius monstro, quod utrimque cum gaudio acceptum non modo magnum certaturorum animis stimulum admoveret, sed etiam pro vaticina-

1) quaest. Sil. crit. p. 19.

tione de totius belli genere atque eventu esset. Talis fuit pugna illa cum equitibus Numidis ad Rhodanum commissa, de qua Livius XXI, 29 § 4 dixerat ‚hoc principium simul omenque belli ut summae rerum prosperum eventum, ita haud sane incruentam ancipitisque certaminis victoriam Romanis portendit'. Hanc pugnam omisit Silius, quia levior esse, quam ut late versibus depingeretur, vel quia accuratior eius aliarumque rerum in illis regionibus gestarum ab instituto et summis poeta mvidebatur deflectere. Itaque si eiusmodi prodigium et ipsi proferre in animo erat, nullus carminis locus, cui aptius insereretur, inveniri potuit, quam tempus pugnam Ticinensem praecedens. Quia vero e natura rei Livium ipsum adhibere non potuit, de suo finxit monstrum. Et profecto nil est in tota re, quod non speciem vani commenti prae se ferat. Sedecim enim illae volucres, e quibus una vix servatur, facile inde desumtae sunt, quod sexto decimo anno, postquam in Italiam invasit, domum reversus Hannibal,[1]) ut accipiter ille ultimam avem aegre dimittere coactus est, sic ultimum annum bellando in finibus hostium non complevit. Atque unam quidem columbam e periculo eripi necesse erat, ut aquila opem ferre posset; sed simplicem numerum ‚sedecim', vel quod solum restabat, cum versui 122 ‚bis octonos.. annos' iniunxerit, ‚quattuor quater' simili causa ac supra ‚ter ternos soles' (p. 74) evitare videtur voluisse, quamvis rotundiore numero dicere ‚Hannibalem per sedecim annos Italiam vastavisse' e locis, quales sunt App. Hann. c. 60 et Libyc. 2, vulgarius fuisse videamus et ita, ut Eutropius III, 21 Droys. tradat ‚Ita anno septimo decimo ab Hannibale Italia liberata est'. Et confirmatur haec observatio versibus XVII, 332 et 354 inter se comparatis, quorum priore cum varietatis causa ‚post trina lustra' sedecim annorum vice poeta dicat, sonorior quam accuratior esse maluit. Quod vero ad aquilam, quae avis Jovi sacra Scipioni adolescenti fausto omini est, attinet, cui haec fictio mira videri potest, qui reputat Scipio-

1) cf. Liv. XXX, 21, § 9.

nem e Jovis sanguine originem duxisse vulgo creditum esse vel ipsum credidisse?[1]) At Heynacherus (diss. p. 25, progr. p. 22 cf. progr. p. 26, 5) adicit Silium et Livium ubique in auspiciis referendis inter se differre, quod grave sit argumentum illum alios quam hunc auctores respexisse. Fateor me ipsum contrarium sentire. Nam hic erat, ubi salvo toto rerum gestarum tenore campus poeticis inventis patebat et libere e poetae ingenio monstra quaecunque addi poterant eodem tendentia, quo si quae re vera acciderant et tradebantur. Sic placet nonnumquam poetis varia prodigia, quotquot excogitarunt, n unum congerere.[2]) Et ipse Lucanus, quamvis anxie alioquin historiam versibus mandaverit, in prodigiis enarrandis liberiorem se gessit, vituperatus quidem ob id a magno Scaligero, sed recte defensus a Cortio, qui in editione sua a Webero curata ad I, 545 et alia et ‚poeta autem', inquit, ‚haec pro more suo ornat et auget: quod qui in eo reprehendit nescire se fatetur eius officium, qui historiam carmine scribere constituit'.

Consectarium est, ut hoc anceps auspicium Poeni et Romani sibi quisque in bonam partem vertant (vss. 121 sqq. et 132 sqq.) et illi quidem, finem prodigii neglegentes, praeclarissimos successus sibi portendi opinentur, cum hi post multos labores tandem victores se Scipione duce esse discessuros intellegant. Haec si Romanis interpretatur Liger (vs. 120), nomen Vergilianum[3]) habemus, et licet adversarius sit Aeneae, in nominibus ex Aeneide desumptis, quia populi cum Troianis pugnantes in ipsa Italia habitabant, non ubique aurificis statera examinandum, qui ab Aeneae partibus steterint, qui non steterint, nec semper postulandum, ut hos Carthaginiensibus, illos Romanis assignet poeta; si Carthaginiensibus Bogus vates est (vs. 131), con-

---

1) vd. Rupert. ad. Sil. IV, 476, ubi inter locos citatos pro VII, 187 legendum est 487, et Weissenb. ad Liv. XXVI, 19, ubi ne Eutropii III, 20, § 2 Dr. indigna erat, quae ascriberetur.

2) cf. Drakenborch ad Sil. VIII, 627.

3) Aen. IX, 571. X, 576 et 584.

siderate is electus est a Silio. Disco enim ex Vincentii de Vitii tot. Latinit. onomast. I, p. 735 ‚Bogud' veri similiter esse nomen Punicae originis, quod Cicero, Livius, auct. bell. Afr., Suetonius quidem integre servaverint, sed non solum Silius in alteram, ut ita dicam, declinationem transformaverit, verum etiam Strabon. Qui saepius (II, 3 § 4 et 5 = p. 100–102; VIII, 4 § 3 = p. 359; XVII, 3 § 5 = p. 827 et § 7 = p. 828) *Βόγον τὸν βασιλέα τῶν Μαυρουσίων* memorat.

Veniamus nunc ad pugnam ipsam. De qua agens Heynacherus (diss. p. 25, 12 et progr. p. 22, 12) anxie recenset discrimina inter poetae et historicorum narrationem, velut Silium contra eorum testimonia Gallos Carthaginiensibus socios fuisse, Scipionem Gallos fugae mandasse, cum secundum Livium (XXI, c. 46 § 6 et 7) Numidae potius Gallos cum Romanis coniunctos[1]) repulerint, Magonem Numidis praefecisse nec iis summum in eventu proelii momentum tribuisse. Sed, quod ab initio moneo, cavendum est, ne maiorem poetae vim inferamus quam par est. Is si totum pugnae genus ex rerum historia servat, si praeterea egregium quoddam factum, quod pugnae quasi nota inscripta est, retinet, si denique eventum talem describit, qualem a scriptoribus traditum accepit satis superque mihi fecisse pro sua parte videtur. Atqui Silius non modo saepissime (vss. 93, 97, 139, 144 sqq. etc.) pugnam ad Ticinum commissam fuisse proelium e q u e s t r e[2]) aperte indicat et Scipionis postea Africani maioris cognomine decorati de patre meritum, cuius unicuique Romanorum, qui pugnae

---

1) In hoc erravit; nam non equites Galli, sed iaculatores Romani fugisse a Livio dicuntur.

2) *ἱππομαχία* Pol. III, 68, § 9. Si vs. 238 ‚pedes' consulem aggreditur nec Batus vs. 239 sq. de equo pugnasse videtur, poeta veri simili modo multos de equis desiluisse (Pol. III, 65, § 9 et Liv. c. 46, § 6) meminit; si Galli vs. 300 ‚pedibus se credere' dicuntur, inde vix certe colligi potest, utrum equorum an suis pedibus terga dederint, cum illa locutio simplicem tantum fugiendi vim habeat.

nomen audiebat, statim in mentem venit,[1]) commemorat (vs. 456 sqq.), sed etiam consulem sauciatum (Pol. c. 66 § 2 Liv. l. l. § 7 Sil. vss. 445 sqq.), ut pedem referret, coactum esse libere fatetur (vss. 483 sq.). Heynacherus igitur poetam nimis arctis vinculis devinxisse libertatemque eius angustissimis finibus circumscripsisse, quin etiam fere postulasse videtur, ut verbotinus scriptorum narrationem in versiculos converteret. Certe poema de bello Punico tum, non dicam multo, quam nunc est, languidius, sed lectorum auribus merum taedium ac tormentum factum esset. Sed si ad singula nos vertimus, primum quidem Boiorum et Senonum acerrimam pugnam e rerum memoria eicienda est; nam tantas Gallorum copias in Hannibalis castris fuisse nil esse nisi exsuperationem veritatis modum excedentem supra (p. 78 sq.) demonstravi. Itaque etiam ducis (vss. 148 sqq.) eorum fortiter facta (vss. 175 sqq., 248 sqq.) mera poetica figmenta esse patet. Cuius nomen si ab editoribus nec non viris doctis quibusdam nostri aevi ‚Cryxus' scribitur, perperam lectio codicum ‚Crixus' mutata est. Nam Crixus erat unus e gladiatoribus, qui cum Spartaco periculosissimum Romanae rei publicae tumultum excitaverunt.[2]) Unde iam concludi possit fuisse hoc nomen Gallicum, quia Gallos in lanistarum ludis haud parvum numerum explesse et in ipsa Gallia gladiatores, quorum loricatos teste Tacito ann. III, 43 ‚cruppellarios' vocabant, summae populo delectationi fuisse constat, neque modo ‚Brixellum', ex quo ‚Brixum' refingendum esse Rupertius opinatus est, urbs Galliae Cispadanae fuit, sed etiam ‚Crixia' ut docent Cluver Ital. antiqu. Lugd.

1) ‚fama obtinuit' (sc. servati a filio patris) dicit Livius c. 46, § 10.

2) vd. Sall. frgm. hist. III, 77, § 11 ed. Kritz 1856. App. emphyl. I, 116 sq. Liv. perioch. XCV et XCVI. Flor. II c. 8, § 3 H; Eutrop. VI, c. 7, § 2 Dr. cf. ‚Atespatus Crixi' tituli citati a Jordano Sall. p. 128 ed. H. ‚Crixsum' (acc.) invenitur Corp. inscr. Lat. IV, 1916, ‚Crixsius' et ‚Crixsia' nominum gentiliciorum vice posita in inscriptt. Lugdunens. ap. Boissieu. p. 507 nr. XXXIV et XXXV, ‚Crixsius Adnamatus' ap. Wilmanns. exempl. inscr. Lat. nr. 2278 (e civitate Germanica Mattiacorum).

Bat. 1624. fol. p. 83 et tabulae geographicae, in Liguria sita. Sed certum fit ex Orosio (V, 24 p. 360 Haverc.), qui disertis verbis Crixum, Spartaci socium, Gallum fuisse testatur. Et de ipso hoc Crixo poetam recordatum esse eo certius fit, quod Scipionis equum, quem vector plausu et blanda exhortatione in adversarium stimulasse fingitur (vss. 263 sqq.) ‚Garganum' vocat. Nempe apud cognominem montem Crixus gladiator a Romanis oppressus est.[1]) Iam non amplius verbum addendum esset de certamine singulari, quod Boius ille cum Scipione iniit (vs. 270 sqq.), praesertim cum talia epicis sint vulgarissima et Silius ipse Flaminium (V, 608 sq.), Scipionem (IX, 428 sqq. XVII, 509 sqq.), Marcellum (XII, 194 sqq.) eodem modo similique Ennium (XII, 393 sqq.) et Neronem (XV, 778 sqq.) cum hoste confligentes conflicturosve faciat. Sed ipsius huius exempli causam, quae forte fuerit, quaerentibus dicam. Potuit enim poeta reminisci pugnae illius, quam anno a. u. c. 603 a barbaro Hispano provocatus Scipio Africanus minor cum inisset, victor discessit secundum Livii librum 48, in cuius epitome (Liv. perioch. ed Jahn 1853 p. 51) legimus ‚P. Cornelius [Africanus] Scipio Aemilianus . . . provocatorem barbarum tribunus militum occidit'.[2]) Silius tantum ad augendam Romanorum gloriam non Celtae, sed consuli provocationem tribuit. Deinde quod attinet ad fluctuantis pugnae descriptionem (vss. 315 sqq.), qua Numidae et Romani nunc refugientes nunc aggredientes lunatis orbibus[3]) hostem alternis circumequitant, immerito hoc dubio certamine Heynacherus offensus est; nam nil est nisi poetica amplificatio eius, quod Polybius III, c. 65 § 8 dicit *ἐπὶ πολὺν χρόνον ἐποίουν ἰσόρροπον τὸν κίνδυνον* et Liv. XXI, c. 46 § 6 ‚inde equitum certamen erat aliquamdiu anceps'; et quod ipsum discrimen poeta non parti copiarum, sed summo

---

1) App. emphyl. I, c. 117.

2) cf. App. Iber. c. 53 extr., Oros IV, 21, p. 277 Haverc.

3) de usu technico adiectivi, quod est ‚lunatus', vd. Blass. ann. Fleckeis. 1874, p. 505.

duci Poenorum reservat. non mirum. Tertium, quo Heynacher. diversitatem inter Polybium et Livium ex una et Silium ex altera parte indagasse sibi visus est, salutem Scipioni consuli a filio allatam spectat. Quam si poeta non sine ope Iovis iussu (vss. 417 sqq.) a Marte praestita (vs. 430 sqq.) confieri posse (454 sqq.) putavit, hanc digressionem, quae ex ordine a nobis instituto ad priorem dissertationis partem pertinere debet, propterea iam non antea tractavi, quia cum proelii descriptione artius connexa est, quam ut facile ab ea separari potuerit. Ne autem extra rem evagemur, Livius l. l, § 10 sic memoriae tradidit ‚servati consulis decus Coelius ad servum natione Ligurem delegat. malim equidem de filio verum esse, quod et plures tradidere auctores et fama obtinuit'. Quae verba Heynacherus (diss. p. 25 nr. 13 = progr. p. 22 nr. 13) cum Boettchero[1]) ita interpretatur, ut Livius, etiamsi aliorum narratio ei magis arrideat, tamen Coelii veriorem esse existimet. Sed ut alios viros doctos[2]) ipsum contrarium sentire taceam, primum Livium certum de ea re iudicium non fecisse contendo. Deinde autem, etiamsi Coelio astipulatus esset et generosum filii factum pro falso reprobasset, tamen Silius honorem Scipioni ascribere debuisset, quia poeticae rationi sine dubio erat accommodatius. Obque eandem causam Florum quoque rhetorem I, 22 § 10 H. nil aliud protulisse videmus.[3]) Nimirum epicus rem ornamentis ita extulit, ut patrem humeris e pugna asportet tamquam alter Aeneas vel Amphinomi et Anapi exemplo, qui parentes ex Aetnae flammis eripuerunt.[4]) Attamen quam prope et hic Livii vestigia subsequatur, e vaticinio Martis (vs. 475 sqq.) perspici licet, quod propheticis verbis Livianis (l. c. § 8) ‚hic erit iuvenis, penes quem perfecti huius belli laus est' commotum Silium scripsisse

1) ‚Krit. Untersuch. über die Quellen des Livius im XXI und XXII. Buch' in ann. Fleckeis. supplem. V, 1869, p. 397.

2) ut Weissenborn. ad Liv. l. l.

3) Nec aliter epitomator Livii et Oros. IV, 14, p. 253.

4) vd. Sil. XIV, 196 sq. cum Rupertii nota.

autumaverim; nam a Weissenbornii partibus sto, qui recte etiam Florum hanc scripturam, non quam alii inserendam esse censuerunt, erat', ante oculos habuisse affert. Boiorum igitur rebus gestis, quas ficticias esse probavi (p. 78 sqq. p. 88) et ancipiti cum Numidis pugna et conservatione consulis filio debita, cui facto nec recentiores historici fidem derogare ausi sunt, a cetera narratione Siliana remotis plane nil reliquum est praeter pugnas a singulis commissas et praecique a ducibus utriusque exercitus, Scipione (vss. 216—310, 401—416), Hannibale (vss. 324 sqq.) Magone (vss. 311 sqq.),[1] nec invenio quidquam, e quo quidam auctor nobis ignotus, quem poeta descripserit, nobis subolere possit. Nam si vss. 157 sqq. Camertes primi a Celtis furentibus opprimuntur, poetico tantum more quaelibet certa res pro incerta posita est.[2]) Nec grave momentum tribuendum videtur versibus, quos prorsus neglexit Heynacherus, quamquam sententiam eius per speciem fulcientes, 214 sq., ubi consul, dum Galli stragem inter Romanos edunt, ‚turmas propere castris accitas' in proelium duxisse dicitur; et vereor, ne Silius locutionem Livianam (l. c. § 9) ‚alius confertus equitatus consulem ... reduxit', qua equites iaculatoribus opponuntur, non novi equites debellatis adduntur, aut male intellexerit, aut, in quali cohaerentia verba exstarent, oblitus sit. Sic totam proelii imaginem magis e poetae cogitationibus profectam quam fidis auctoribus nitentem reique militari consentaneum ordinem sequentem habemus. Ac profecto acies secundum disciplinam bellicam instruere et, quo unaquaeque cohors se moveat quidve agat, describere minime poetarum est. Pugna facta sub noctem utrique in castra se recepisse finguntur. (vs. 478 sq.) Itaque proelio, cum prima luce exercitus sibi obviam iverint (vs. 88 sq.), fere totus dies

1) Si eum equitibus praeponit, hoc, praeterquam quod omnino Hannibalis fratrem saepius quam historici laudibus afficere solet (cf. p. 56), inde forte desumpsit, quod post proelium factum ap. Livium (XXI, 47, § 6) Mago cum equitibus Hispanis praemittitur.

2) cf. Picentes in pugna ad Trasumennum lacum facta V, 208 sqq.

expletus est! Hoc minime consentit cumum Livio, ex cuius et aliorum veterum scriptorum narratione cogitationem levis proelii[1]) animo percipimus, ut et hoc fortasse Heynachero inter causas fuerit omittendi in programmate, quod in dissertatione (p. 25, nr. 14) de receptu Romanorum cum Livio congruente protulit. Sed proelium nocte finire quam maxime amant poetae epici Latini. Sic in pugnis, quas ut nemo nostri aevi historiae adiciet, ita unusquisque ad fabulas et fictiones relegandas esse concedet, Vergilius (Aen. XI, 912 sqq.), Valerius Flaccus (VI, 752 sq.), Statius (Theb. VIII, 159 sqq. X, 1 sqq.) noctem supervenientem faciunt. Hoc teneri velim, quia infra etiam ad eandem rem nobis recurrendum erit, ubi male inde argumentum hauserunt, quod alienum fontem Silium secutum esse monstraret.

Restant pauca e parte carminis modo tractata, quae memoratu non indigna videntur. Primum enim locum, quo sonus a tubicinis exspirantis labris tubae inflatus etiam, posteaquam homo iam mortuus est, in aere aliquamdiu resonasse dicitur (IV, 171 sqq.), aliorum exemplo Wezelius p. 19 et post eum Heynacherus diss. p. 30, 2 ad imitationem annalium Ennianorum incertae sedis fragmenti LIIi (Vahl.) retulit, Cosackius p. 18 notum saltem fuisse Silio Ennii versum contendit, Blassius recens. diss. Wezel. p. 502 similitatem e vulgatis Romanorum militum colloquiis, qui in excubiis circum ignes sedentes non dubium sit, quin de miris eiusmodi mortibus sermocinaturi fuerint, derivare studet. Ego vero, cum primo intuitu inter ceteros locos a Wezelio laudatos hunc maxime accommodatum videri, qui imitationem Ennii nobis persuadere possit, existimassem, re diligentius perpensa miror homines doctos recentioris aetatis praeter Occionium, qui tamen l. l. p. 415 nec ipse, quod inde sequitur, concludit, quamvis iam Drakenborchius et Rupertius attulerint, locum Thebaidos Papinianae (XI, 55 sq.) prorsus neglexisse. Nam cum apud Statium versus Enniani, qui est ‚Cumque caput caderet, carmen tuba sola peregit', posterius

1) *γενομένης ἀκροβολίας τε καὶ ἱππομαχίας* dicit App. Hann. c. 5.

hemistichium integrum reperiamus atque hoc casu vix fieri potuerit, nisi plus, statuendum sane est Statium versiculi illius cognitionem habuisse. Id autem si recte posuimus, cum veri specie consequitur, ut Silius, qui tam arguta imitatione statim vetusti poetae memoriam revocante non usus est, aut versum Ennii non noverit, aut, si, quod malim, novit et omnino aliqua ratio inter Thebaidos et Punicorum poetas intercedit, cum occasionem ad eum alludendi iam praereptam videret, consulto, ne incurreret in eadem verba, evitaverit itaque Statium potius respexerit quam hic illum. Alterum, quod monere volui, sat aptum est ad illustrandam rationem saepius iam a me adumbratam, qua Silius carmen suum elucubraverit. Nam ad conformandam exhortationem, qua Scipio suos iam fessos et fugientes nova ira in hostes incitare conatur (vs. 401 sqq.), transsumpsit cogitationes ex oratione, quam Livius ante pugnam initam consuli subdiderat. Si enim contemptim de Carthaginiensibus dicit Scipio in vs. 406 ‚has dextras capti genuere parentes', respondent haec Livianis illis (XXI, 41 § 7 et § 11), ubi Hannibal ‚vectigalis stipendiariusque et servus populi Romani a patre relictus' nominatur et consul ‚cum indignatione quadam' certandum esse milites admonet, ‚velut si servos videatis vestros'[1]; et si vs. 409 ‚Credite summissas Romam nunc tendere palmas' exclamat, quid propius his accedere potest quam Liviana (ib. § 15 sq.) ‚unusquisque . . coniugem ac liberos parvos armis protegere putet' et ‚nostras nunc intueri manus senatum populumpue Romanum'?

Denique ad inquirenda nomina personarum, quae huic pugnae a poeta inserta sunt, sicut antea semper feci, me accingam. Ex eo numero Romanorum sunt haec: Catus (vs. 139). Hoc cognomen in primis inditum erat Sexto Aelio iuris consulto et commentatori XII tabularum,[2]) quem versu ‚egregie cordatus homo catus Sextus Aelius'[3]) tam

1) cf. Pol. III, 64, § 3 sq.

2) vd. Teuffel hist. litt. Rom.[3] 125, 2.

3) ann. vs. 335 Vahl.

bene Ennius praedicasse Ciceroni visus est, ut tribus locis hoc dictum repeteret. Ceterum nec principatus aetate nomen rarum fuisse docent loci Tacitei ann. II, 27 (II, 30, IV, 31) et XIV, 32.[1]) Tyrrhenus (vs. 167), quo nomine praeditum virum Vergilius Aen. XI, 612 ante omnes in Latinos incurrentem induxit, iam supra (p. 36) simul cum inventione tubarum Etruscis ascripta tractatus est. Ideo tubicinem eum fuisse fingit poeta. Picens (vs. 175) cognominis vicem sustinet in oratione Lepidi e Sallustii historiis excerpta, ubi § 17 ‚Vettius Picens' memoratur.[2]) Laurus (vs. 175 sq.), quod etiam in versu 343 exstat et Blassius ibi codicum L^{s}, F, O, V consensu[3]) tradi certiorem me fecit, ut in libris alibi occurrere non videtur, ita in inscriptionibus frequens est velut ‚C. Servilius Laurus' C. I. L. II, 359, ‚P. Novius Laurus' ib. III, 2552, in diplomate milit. Titi ‚P. Manlius Laurus' ib. III, p. 854, lin. 39, ‚C. Minervius Laurus' ib. V, 6073. ‚Laurus' ib. V, 7903, ‚Titinius Laurus' in incriptione temporis M. Aurelii Antonini imp. Rénier inscr. de l'Algérie 90B, lin. 21, ‚L. Cornelius Laurus' in inscriptione Sardiniae reperta ap. Wilmanns. exempl. inscr. Lat. 2191. Venulus (vs. 181) a Turno ad Diomedem auxilii causa missus erat, ut testatur Vergilius Aen. VIII, 9, XI, 242 et ex eo recepit Ovidius Met. XIV, 457, 460, 512.[4]) In nominibus Vergilianis autem iem non adeo cum pulvisculo exhauriendam esse, cui parti tribuantur, iam supra (p.86) notavi. Farfarus (vs. 182), ut recte adnotat Rupertius, fluvius Sabinorum est, dictus ‚Fabaris' a Vergilio VII, 715[5],) sed iam ab Ovidio Met. XIV, 330 eadem atque a Silio forma elatus. In Tulli (vs. 183) nomine

---

1) In titulis idem cognomen invenitur ap. Rénier inscr. Rom. de l'Algérie nr. 90 B. lin. 22 et nr. 2477; C. I. L. V, 7181.

2) cf. M. Her(ennius) Picen(s) C. I. L. V, 8112, 44^{b}. (cos. a. u. c. 754) C. Ancharius C. f. Picens ib. 2559.

3) Horum consensus scripturam Sangallensis amissi repraesentat cf. Blass. in supplem. ann. Fleckeis. VIII, p. 239.

4) In inscriptione ap. Rénier nr. 2036.

5) vd. Servium ad l. l.

afferendo, ut taceam de Tullo Hostilio Romanorum rege et de Volcatio Tullo, Propertii amico,[1] poetae animo forte obversatus est Attius ille Tullus, Volscorum rex, cuius cum Coriolano olim contra Romanos pacti ipse alibi mentionem iniecit et Cicero stirpem se esse gloriabatur.[2] Remulus (vs. 186) est nomen non modo Maroni adamatum, ut qui tribus diversis personis id indiderit,[3] sed etiam ab Ovidio in regum Albanorum numero relatus.[4] Magios fratres in vs. 187 posuit quasi dimidiam nominis partem a ‚Decio Magio'[5] forti illo Campano et Hannibalis adversario, seiungens, quem ‚Decium' solum a Silio nominatum XI, 155—258, 378, XIII, 280 auctorem generis sui fuisse Velleius affirmat[6] et nomen fratris eius ‚Magius Celer Veilleianus'[7] fidem facit. Libet addere, cum non tam vulgare sit nomen, ‚Magium' quendam a Sertorio ad Mithridatem de foedere missum,[8] ‚L. Magium' generum T. Livi scriptoris a Seneca (contr. X, praef. 2), ‚Cn. Magium' clientem in periocha librorum Livi CXVa, ‚Magium Caecilianum' praetorem a Tacito ann. III, 37 commemoratum esse. Metaurus (vs. 187) a flumine Hasdrubalis clade nobilitato petitum est. Clanius (vs. 188) originem nominis a Campaniae flumine duxit, de quo ipse Silius VIII, 535 admonuit; et videtur non indignum, quod adiciatur Silium saepius tamquam opem memoriae et cognitioni lectorum ferentem ac viam iis monstrantem, unde sua hauserit, nomina a montibus, fluminibus, urbibus, populis ad personas designandas accersita duplici notione, et translata et vera, usurpasse.

---

1) vd. Teuffel hist. litt. Rom.³ nr. 246, 2. Propert. ed. Hertzberg. I. (1843) p. 23 sqq.

2) vd. Rupert. ad Sil. VIII, 405.

3) Aen. IX, 360; IX, 593, 633; XI, 636.

4) Met. XIV, 616 sq. Fast. IV, 49.

5) vd. Liv. XXIII, 7, § 4 sqq.

6) II, 16, § 2.

7) Vell. II, 115, § 1.

8) App Mithrid. 68.

Sic, ut ‚Tagum' Hispanum[1]) a fluvio (etiam XVI, 450 memorato) nomen ascivisse uberius explicat I, 151 sqq., ‚Durius' I, 438, V, 323 pro milite Saguntino et XVI, 366—423 pro homine ludis funebribus a Scipione in Hispania editis curru certante, I, 234 autem pro fluvio ponitur; ‚Silarus' XVII, 438 Bruttii hominis nomen est, VIII, 580 fluvii Italiae inferioris; ‚Symaethus' IX, 410 unum de exercitu Hannibalis designat, XIV, 231 flumen Siculum; ‚Garganus', quod nomen IV, 266 equo Scipionis tribuisse poetam supra (p. 89) vidimus, montem aperte innuit IV, 561, VII, 366, XVII, 600; ‚Barce', quemadmodum appellata fuisse fingitur uxor Xanthippi Lacedaemonii IV, 356, urbem Africae valet II, 62, III, 251; de modo, quo ‚Thapsus' II, 160 et IV, 635 militis vicem suscipiens, III, 261 invenitur, idem dicendum; ‚Tartessos' XVI, 465 et 509 cursus certamine nobilis, urbis nomen est III, 399, V, 399. Cum ‚Aquinus' VI, 166 et 201 in Reguli exercitu militet, VIII, 403 non deest oppidum ‚Aquinum', cum ‚Labicus' V, 565 ad Trasumennum interficiatur, VIII, 366 commemoratur ‚Labicum', cum ‚Ilerdes' XVI, 566 et 571 iaculo certet et praemio afficiatur, III, 359 et XVI, 475 ‚Ilerda' occurrit; et ‚iaculator Sabellus' versus IV, 221 in nomen proprium abiit XV, 687.[2]) Nec Quirinius (vs. 192) latet, licet non frequens sit. Nam Strabo XII, 6 § 5 = p. 569 Quirinium quendam in narrationem induxit, qui cum Amynta Deiotari successore cum Pisidis dimicavit, et P. Sulpicius Quirinius pluribus locis Taciteis (ann. II, 30, III, 22 et 48) obvenit. Tarium (vs. 252), quam lectionem, cum Coloniensis ‚darium' vel ‚clarium' exhibuerit, nonnulli addubitaverunt, sed concentus optimorum codicum L^{s},F,O,V nunc firmat, praeter

1) Quem si poetam e scriptis historicis Heynacherus (progr. p. 10) repetiisse opinatur, eo ineptior fit, quod idem nomen ad personas translatum est a Verg. Aen. IX, 418 et Stat. Theb. X, 314.

2) Eandem consuetudinem nec in nominibus e mythologia petitis neglegere videtur Silius: cum exempla ‚Sychaei' (III, 245 et saepius), ‚Jarbae' (I, 417, II, 58), ‚Polyphemi' (XIV, 527) sui levirum Pygmalionis I, 90 et VIII, 123, procum Didonis VIII, 54. Cyclopem, qui Ulixis comites devoravit, XIV, 223, XV, 429 proferat.

locos iam a Drakenborchio laudatos legimus Tac. ann. VI, 38[1]). Metabus (vss. 337 et 340) erat ἥρως ἐπώνυμος Metaponti, ut nos ex Antiochi testimonia a Strabone (VI, 1, § 15 = p. 265) adhibito discimus, Silius vero ex sermone cum incolis eius urbis habito vel itinere in eam regionem facto facile cognoscere potuit. Praeterea nomen etiam in antiquis Italorum fabulis nobile fuisse docent Cato orig. frgm. 62 (ap. Peter frgm. hist. Rom.) et Verg. Aen. XI, 539 sqq.[2]) Ufentis nomine praeditus miles Romanus et in huius proelii descriptione necatur (vs. 337 et 340) et in pugna Cannensi dentibus elephanti Punici sublime rapitur (IX, 585). Transtulit hoc nomen poeta Vergilii exemplum secutus[3]) a flumine Latii, de quo etiam tribus Ufentina[4]) nomen accepit. Ipse, sicut Vergilius Aen. VII, 802 et X, 518, fluvium cognominem VIII, 382 narrationi iniunxit, ut regula, quam a poeta saepius observari supra (p. 95 extr.) exposui, rursus confirmetur. Stenius (vs. 343), quod nomen in titulis[5]) ideoque recte sine h littera scribitur, praeter Vergilii locum ab editoribus accitum inter nobiles Campanos, quorum hospitio Hannibal utebatur, refertur a Livio (XXIII, 8 § 1) et erat praenomen Statilii imperatoris Lucanorum, qui Thurinis instabat.[6]) Collinus (vs. 344) oculos lectoris statim in Collem h. e. Quirinalem vel portam Collinam convertit.[7]) Massicum denique, cuius nominis ducem Clusinorum Vergilius Aen. X, 166 participem facit, quis est, qui legens non meminerit montis illius ob vini ubertatem tam saepe Horatii carminibus celebrati?

1) cf. ‚L. Tarius (r)ufus' ap. Wilmanns nr. 2242; alii C. I. L. III, 2877 et 2878.

2) Hoc mihi suppeditavit Blass. Fleckeis. ann. 1874, p. 487.

3) Aen. VII, 745 et VIII, 6.

4) vd. Liv. IX, 20, 6.

5) C. I. L. II, 5056. Wilmanns. nr. 2127 et (ex Traiani imper. tempore) 2844 tab. III, lin. 77. Rénier l. c. nr 102 A lin. 6 (ex tempore Aureliani).

6) vd. Mommsen hist. Rom. I⁶, 388.

7) cf. ‚M. Pacilius Collinus' C. I. L. V, 1798, ‚Manilius Collinus' ib. 2650. ‚Q. Clodius Collin(us) ib. 6682.

Paulo difficilius barbarorum nominum formam atque originem constituere. Quorum Gallos significare voluerit poeta necessest haec: Pelorum (vs. 167).[1]) Ut hoc nomen eligeret, fecit aut memoria adiectivi Graeci, quod est πέλωρος[2]) et notionem rei ingentis, immanis, giganteae exhibet, aut Pelori promunturii Siciliae in Italiam vergentis. Solent enim poetae barbaris ‚immania membra' tribuere[3]) et quasi cum montibus saxisve comparare.[4]) Et in Gallis hoc eo maiore iure fieri potuit, quod cum Polybius (II, 30 § 3) et Livius (XXII, 46 § 5) grandia eorum corpora testantur, tum Caesar B. G. II, 30 § 4 fatetur ‚plerumque omnibus Gallis prae magnitudine corporum suorum brevitas nostra contemptui est'. Attamen forte alius hic latet auctor, qui, ut Pelorus Hannibalis castris annumeraretur, impulit, dico Pomponium Melam, qui II § 116 Parth. sic narrat: ‚Pelorias, quod in Italiam vergens Scyllae adversum est; causa nominis Pelorus gubernator ab Hannibale ibidem conditus' etc., licet fabula sit insulsissima, cum iam a Thucydide IV, 25 ἡ Πελωρίς memoretur. Teutalum[5]) (vs. 199) alibi non inveni; recurrit quidem animo ‚Teutates' ille Celtarum deus a Lucano (I, 445) traditus, sed ultimae syllabae productae a Silii loco abhorrent; nec cum Teudali, oppido Africae a Plinio (N. H. V c. 4 § 23) allata[6]) nomen coniunxerim, cum inter Gallorum res gestas immixtum Afrum aegre essemus laturi; itaque cum intentius deliberarem, incidit mihi cogitatio scribendum esse non ‚Teutalus' sed ‚Teutobus', quod barbara terminatione ‚Teutobod' linguae Latinae declinationi, velut supra ‚Bogum' ex

---

1) ‚Pelorus' nomen proprium C. I. L. IV, 437, V, 8923. ‚Pelor..' Wilmanns nr. 380.

2) Inde et unus de Spartis illis ex dentibus draconum terra genitis Pelorus denominatus erat. cf. Paus. IX, 5 § 1.

3) e. g. Sil. IV, 149, 293, V, 112 XVII, 114.

4) cf. Verg. Aen. X, 693 sqq. Val. Flacc. IV, 202 sqq. et 320 sqq.

5) Hoc enim traditum codicc. F, O, V, ut Blassii benevolentia comperi; ‚tentalus' in L^3 calami errore natum videtur.

6) cf. C. I. L. I. p. 84 LXXIX.

‚Bogud(e)' effectum vidimus (p. 86 sq.), accommodata apte poeta dicere potuit, ut Teutonum illius reguli a Mario apud Aquas Sextias capti memoriam redintegraret.[1]) Confusionem autem Gallorum et Germanorum facile esse docet votum Germanis usitatum, quod Silius vs. 200 alii Gallo tribuit; et in hac re eo facilius fuit, quoniam Teutoni in ipsa Gallia victi et Aduatuci secundum Caesaris testimonium (B. G. II, 29 § 4) ex eorum Cimbrorumque reliquiis prognati erant. Sarmens, quod in vs. 200 quantum in manu scriptis est, certum reddi, Blassius mihi affirmat, unde petitum sit, nescio; puto tamen Silii temporibus et aliis notum nomen Gallicum fuisse nec a poeta ex remotissimis fontibus esse erutum. Quod in paucitate librorum, qui ex antiquitatis copia aetatem tulere, mirum videri non debet; nec ‚Sarmentus' scurrae illius nomen, cuius iocis Maecenas et Horatius in itinere Brundusino delectati sunt[2]) et cuius ob similitudinem mihi venit in mentem, quantum ego quidem scio, alii homini inditum invenitur.[3]) Ligaunum (vs. 206)[4]) esse nomen Celticum docet Plin. N. H. III, c. 5 § 35, ubi in provincia Narbonnensi ‚Ligaunorum' regio invenitur. Vosegus (vs. 213)[5]), vel rectius Vosagus, a montibus derivatum est, quos Francogalli hodie quoque ‚les Vosges' appellant, nos ‚die Vogesen nominare solemus. Hanc autem formam monstruosam esse docet Kiepert ‚Lehrbuch der alten Geographie' 1878, p. 501 adnot. 5, ut male plerique viri docti ut Heinsius, Drakenborchius, Lefebvrius, Luenemannus[6]) ‚Vogesum' h. l. restituendum esse censuerint. Non eadem necessitate atque antea tractati, sequentes homines Galli esse debent. Quamquam cum Scipionem inde a vs. 216 in hostes irruentem

1) cf. Flor. I, 38 § 10 H. Eutr. V, 1 § 4 Dr; Oros. V, c. 16 (p. 329).

2) Hor. sat. I, 5, 52 sqq.

3) Horatianus enim et alibi occurrit ut Juven. sat. 5 vs. 3.

4) ‚ligaunus' F, postea quidem insertum, et O. ‚ligaumis' L^3. licaunuſ' V.

5) ‚vosegus' Col. et F. s. m. ‚vesegus' L^3 O. V. cf. Blass. ann. Fleckeis. suppl. VIII, p. 233.

6) Sil. Ital. ed. Luenemann Gotting. 1823.

Gallos victores imprimis petivisse veri simile sit iique post Crixi mortem vs. 300 fugisse dicantur, ex horum quoque numero plerosque illius gentis fuisse iam statim coniciemus, sed ita tantum, ut Africano vel Hispano admixto non sit, cur offendamur. In hac igitur parte primus barbarorum occurrit Labarus (vs. 232)[1]), cui nomini cum medicina opus esse mihi persuasissem, varia primum tentans de restituendo vel ‚Latago' Vergiliano,[2]) e quo Colchum finxit Valerius Flaccus V, 602 et VI, 572, vel (permutatione syllabarum facta) ‚Balaro' cogitavi, quo Hispanum recte innui supra (p. 61 sq.) exposui. Nunc nisi ipsis litteris traditis fulcra parari possunt, facili mutatione ‚Latarus' scribatur malim. ‚Castellum' enim ‚Latara' in Gallia Narbonnensi situm fuisse testatur Pomp. Mela II § 80 P; Padus (ib.) repraesentat Padi accolas, qui a Romanis ad Poenum defecerunt. Caunum (vs. 233) eodem iure, quo Rupertius a monte Hispaniae translatum putavit, a populo Mauritaniae Tingitanae *Καῦνοι* a Ptolemaeo (IV, c. 1. § *10*) nominato, derivare possumus, sicut etiam Ovidius Apollonii Rhodii exemplo Met. IX, 452, 487 sq. 579 Carem, Maeandri nepotem, Cauni nomine affecerat, quia Caunus Cariae quoque civitas erat. Breucum (ib.)[3]) quod unum e Breucis, gente Pannoniae inferioris[4]) designat, iam alii, ut Galliae Cisalpinae propior regio intellegi posset, cum ‚Breuno', quod hominem e Vindelicia ortum[5]) innueret, mutare voluerunt. Quodsi ego quoque adeo ad amussim rem exigendam esse in poeta crederem, ‚Leucum' refingerem, quia ‚Leuci' populus Galliae Comatae sunt.[6]) Sed Pannonia mihi ab Italia

1) Sic L^3. F. O. ‚bavarus' V. aperta interpolatione.

2) Aen. X, 697 sqq.

3) Sic L.^{3} F. O. ‚brennus' V. et plerique interpolati.

4) vd. Strab. VII, c. 5, § 3 = p. 314. Plin. N. H. III, c. 25, § 147. Suet. Tib. c. 9. Ptolem. II, 15 (16), § 3.

5) vd. Hor. carm. IV, 14, 11. Plin. N. H. III, 20, § 137. Ptolem. II, 13, § 2. Flor. II, 22 H.

6) Caes. B. G. I, 40, § 11. Strab. IV, 3, § 4 = p. 193. Lucan. I, 424. Plin. N. H. IV, c. 17, § 106.

superiore non tam remota videtur, ut non Silius paulo audacius ‚Breucum' ad denominandum Gallum Cisalpinum adhibere potuerit. Lari nomen, quod in versibus IV, 234 et XVI, 47 invenitur et bis consensu codicum L^8. F. O. V. firmatur, etsi altero loco palam Cantabro inditur, non propriam gentilicii vim habere arbitror. Neque enim id a Graeca voce, quae est λάρος et voracem avem marinam valet, ducere vereor. Scilicet consuevere saepius poetae Latini appellativa Graeca pro nominibus propriis ponere, quem morem imprimis apud Statium observari, a quo e. g. Theb. VI, 463 equus ‚Ascheti' nomine praeditus (ἄσχετος indomitus), IX, 281 ‚Agyrtes' (ἀγυρτής homo vagus, circulator), X, 682 ‚Agreus' (ἀγρεύς captator, venator.) al. introducuntur. Quod ad Leponticum (vs. 235) attinet, iam Rupertius ad populum Alpinum Lepontiorum provocaverat; et quis est qui nesciat parti Alpium hoc nomen etiam in commentariis geographorum nostri aevi adhaerere.[1]) Batus denique (vs. 239) recte a Vincentio de Vit. in tot. Latin. onom. I secundum regulam modo tactam a Graeco vocabulo βάτος[2]) sentem, spinam significante mea sententia repetitur.

IV, 480—621. 698 sq.

Pugna ad Trebiam commissa.

Iam ad pugnam apud Trebiam commissam vertere nos licet. Scipio castra a Ticino movit. Heynacherus, qui in dissertatione (p. 25 sq. nr. 14 cf. p. 29 nr. 17) hic de discrepantia inter Livium et Polybium intercedente hariolatus erat, cum diceret, apud Polybium statim et eadem nocte, apud Livium et Silium proxima demum pedem referre Romanos, quod talia in programmate oppressit — nam secure summo historico Graeco cogitationes non expressas

1) Talia nomina singulis Alpium iugis a recentioribus indita esse docet Kiepert. Lehrbuch der alten Geographie 1878, p. 372.

2) Et ipso hoc vocabulo Polybius in enarrandis insidiis, quas Hannibal ante pugnam apud Trebiam factam struxerat, usus est III, c. 71, § 1.

supposuerat — bene fecit. Potius inter Livium et Silium discrimen, si quid est, statui possit: nam poeta consulem (vs. 480 sqq.) nocte paene peracta et radiante iam aurora sese recipientem facit. Hoc ego aut studio temporis accuratius definiendi natum puto aut crebra apud Polybium in his rebus gestis matutinae profectionis commemoratione.[1])

Sequentia (vss. 483—490), ut etiam Heynacherus (diss. p. 26 nr. 15 = progr. p. 22 nr. 14) concedit, optime cum Livio congruunt,[2]) nisi quod poeta compendiosa narratione usus, cum diceret ‚Trebiam collesque petebat', consulem duplice castrorum Romanorum mutatione[3]) neglecta sine mora in eam fluminis ripam pervenientem facit, e qua profecti proelii fortunam Romani experti sunt. Quin etiam usque adeo Livio fisus est, ut et congruenter cum eius verbis (c. 47 § 3) Poenum recipientes sese Romanos insectantem ad Padum venisse traderet (vs. 488), cum apud Polybium *ὁ πρῶτος ποταμός* (c. 66 § 3), usque ad quem Hannibal Romanos persequitur, nullus alius esse possit quam Ticinus, quod fere inter omnes constat.[4]) Et potuit hoc sine scrupulis facere, quia Liviana narratio hoc loco recte procedit nec secum ipsa pugnat. Id vero non fit in ipsius pugnae descriptione a Livio edita, unde in quanam fluvii ripa proelium commissum sit, nullis machinis extorquere possis.[5])

---

1) cf. Pol. III, 43, § 1 *ὑπὸ τὴν ἑωθινήν* . c. 45, § 5 *ἅμα τῷ φωτί* . c. 63, § 14 item. c. 67, § 2 *περὶ τὴν ἑωθινήν*, cum Livius locis respondentibus aut nullam aut non tam certam temporis definitionem afferat.

2) cf. etiam Wezel l. l. p. 52. In vs. tamen 485 cum Dausqueio ‚dies raptus' pro tradito ‚dies rapti' scripserim, non quidem ob eandem, quam is profert, causam, sed quia plures dies inter abitum Scipionis et persecutionem Hannibalis praeteriisse non est credibile nec fontibus probatur.

3) vd. Polyb. c. 66, § 9 et c. 67, § 9. Liv. c. 47, § 3 et c. 48, § 4.

4) cf. e. g. Heerwagen ap. Cron in ann. Fleckeis. 1855. p. 730. Schnelle progr. Hammens. 1865 p. 4. Pohle ‚de pugna ad Treb. comm. quaest. crit.' diss. Hal. 1872 p. 9. Mueller progr. Conitz 1876 p. 8.

5) cf. Cron. l. l. p. 734.

Nam turbant totum narrandi tenorem capitis 56 §§ 8 sq., quibus Scipio nocte post cladem acceptam, ut Placentiam perveniret, e castris milites relictos trans Trebiam traduxisse dicitur. Hanc igitur rem cum iam Binderus ann. Fleckeis 1855 p. 736 sq. e studio et favore Romanarum partium fictam censuisset,[1]) recte mihi Pohlius l. l. p. 22—25 una cum altera paragraphi quintae particula ex alieno fonte adspersam esse videtur cognovisse. Breviter enim adnotaverim — quoniam latius disserere ob immensam disputationum de ea re copiam, quarum parte tantum enumeranda Mueller progr. gymnas. Conitz. 1876. p. 4 totam paene paginam quartariam implevit, non vacat — me ab eorum partibus stare, qui castra Romana proelii tempore in dextra fluvii ripa fuisse, pugnam ipsam in laeva factam esse existimant, et Pohlio Muelleroque saepius laudatis, qui postremi accuratissime quaestionem difficilem attigerunt et explanaverunt, in omnibus respectu dignis astipulari, cum praeter illa additamenta aliunde a Livio admixta et Polybium et Livium, quos iterum iterumque perlegi, hanc solam sententiam admittere inveniam. Et Silius, nil curans nocturnum illum Scipionis transitum, quantum ex incertis eius lineamentis concludi licet, eidem favet. Nam cum e versu 498 pateat fluvium inter utrosque interfuisse,[2]) ex versibus 571 sq., ubi Romani a Poenis in fluvium urgentur, et vs. 622, ubi Scipio saucius e castris per adversum ad flumen tendit, consequitur, ut Romani transierint. Quaerenti autem, e quanam ripa, respondeam: e dextra, quia Carthaginienses in dextra ripa castra habuisse propterea non veri simile esse puto, quod ‚Trebiam collesque' petivisse Scipio dictus erat, qui quamvis in sinistra ripa proprius ad Padum accedant, tamen magis a Trebia reducti sunt, quam in dextra,[3]) quod Sempronium Arimino constat

---

1) Eandem sententiam sequitur Mueller l. c. p. 27 sq.

2) Si vero ‚amnem' non Trebiam, sed Padum interpretari malis, certe sequitur, ut hunc tantum, non et illum transgressi Poeni in laeva Trebiae ripa castra posuerint.

2) cf. Pohle l. l. p. 19 sq.

collegae succurrisse, et Silius vs. 494 ‚per caerula' eum accitum esse memorans non contradicit Livio (c. 51 § 6 et § 7),[1]) quod denique Romani occupaverunt Padum traicere itaque Carthaginienses praecesserunt. Cavit igitur hic poeta, ne cum Livio errorem committeret, ut antea in Hannibale ad Padum accedente[2]) fecit.

Alterum consulem Tib. Sempronium ex Sicilia revocatum Silius nusquam ‚Longum'[3]) vocat, sed cum eius e Gracchorum familia originem saepius (IV, 495. 515) adumbrasset, IV, 699 et VII, 34 aperte ‚Gracchum'. Quod si praeter poetam etiam Eutropius III, 9 § 1 Dr. facit, in merum errorem scriptor levissimus[4]) illapsus videtur. Quid enim credamus soli eius historici testimonio, qui, ut exemplum ex hoc bello afferam, III, 15 § 3 Dr. Magonem cum capta Carthagine Nova in potestatem Romanorum redactum[5]) Hannibalis fratrem fuisse nobis pro vero venditat,[6]) cum tamen Scipio urbem aggressus sit, ne, si aliquem ex ducibus Poenorum proelio lacesseret, tres eorum exercitus in diversas partes diducti, quorum uni Mago, Hamilcaris filius, praepositus erat,[7]) coniungerentur et praevalentes numero Romanum opprimerent?[8]) Silius autem morem suum tenuit, quo crebrius Romanis hominibus non verum eorum cognomen sed aliud eiusdem gentis, si fieri potuit illustrius, tribuit. Sic P. Valerium F l a c c u m[9])— nam eum sine dubio intellexit,

---

1) cf. Ihne hist. Rom. II p. 158 adnot. 53; qui tamen in eo nimius est, quod dicit ‚Polybius erwähnt nur den Landmarsch', cum apud eum c. 61 § 10 legamus: *ὁ δὲ Τιβέριος τοὺς μὲν ἀπὸ τοῦ στόλου παραυτίκα συναθροίσας ἐξέπεμπε, παραγγείλας ποιεῖσθαι τὸν πλοῦν ὡς ἐπ' οἴκου.*

2) cf. Heerwagen ap. Cron. l. c.

3) Liv. XXI, c. 6 § 3, App. Iber. c. 14. Oros IV, 14 p. 252 Zonar. VIII, 23 init.

4) cf. Eutrop. ed. Fr. Herrmann 1818 praef. p. 11.

5) cf. Liv. XXVI, 46 § 7, 51 § 2.

6) Eadem quidem sententia videtur captus App. Iber. c. 16 sqq.

7) vd. Liv. XXV, 32 § 4 cf. XXIII, 32 § 5 et § 11.

8) vd. Liv. XXVI, 42 § 2.

9) Liv. XXI, 6 § 8.

quia duas legationes ap. Livium Saguntum missas[1]) in unam contraxit[2]) — II, 8 ‚Poplicolam' vocat et XV, 730 L. Porcium Licinum a Livio XXVII, 46 sqq. in pugna ad Metaurum facta commemoratum cognomine Catonis nobilitat. Huc et pertinet Serranus, quo cognomine ap. Sil. VI, 62 saep. Atilii Reguli filius afficitur. Demonstravit enim stemmate gentis Atiliae et notis ad id scriptis iam Perizonius animadv. hist. (ed. Harles. Altenburg. 1771.) p. 27 sq., non illi re vera hoc nomen fuisse, sed a poeta libere ascriptum, ne eodem quo patrem nomine neve minus clariore eum appellaret.[3]) Simile denique obvenit in Claudiorum familia, qui, quod antiqui Sabini Atti Clausi stirps esse ferebantur,[4]) apud Silium XV 547 et XVII, 33 ‚Clausi' audiunt [5])

Quod ad pugnae ipsius descriptionem[6]) attinet, etiam Heynacherus eam paene Homericam esse contra consuetudinem suam nobis largitur (progr. p. 22 nr. 15). Attamen temperare sibi non potuit, quin et in hac carminis parte nonnulla a Livii et Polybii memoria abhorrentia nec tamen sine auctore posita deprehenderet. Et sunt quidem haec: primum Silium nec commemorare Magonem ex insidiis Romanos aggressum esse,[7]) nec magnum numerum copiarum Romanarum hostium aciem perrumpentes Placentiam petivisse,[8]) sed omnes[9]) fluminis vi consumptos vel, dum ingredi cunctantur, oppressos facere (vs. 575 sqq.), quod apud

1) Liv. l. c. 6 § 8 et 18 § 2.

2) cf. Blass. ann. Fleckeis. p. 474 sqq.

3) vd. Periz. l. c. p. 25 sq.

4) vd. e. g. Suet. Tib. c. 1 Tac. ann. XI, 24.

5) vd. etiam VIII, 412 et XIII, 466.

6) Male ad eam ascivisse Wezelium p. 38, 28 et p. 43, nr. 41 Ennii annalium vss. 237 et 258 docet Blass. ann. Fleckeis. 1874, p. 510. cf. Vahlen quaest. Enn. p. LVIII et LIX.

7) Pol. (III, 71, § 9) 74, § 1. Liv. (XXI, 54, § 2), 55, § 9 — forte tamen verbis ‚dispersis Romana per agmina signis' (vs. 570) perturbatio ab hostibus ex insidiis assurgentibus mota significatur.

8) Pol. c. 74, § 4 sqq. Liv. c. 56, § 2 sqq.

9) At nimius est Heynacherus dicens: ‚Dies ist nach Silius das Schicksal des ganzen Heeres' (diss. p. 27, a). vd. infra p. 109.

Livium (c. 56, § 4) in partem tantum exercitus cadat. His, quae in diss. p. 27 monentur, opponendum est prudentia imperatorum consilia et rei militaris rationes accuratius explicare raro poeticae tractationi esse appositum, itaque Silium, ut omnino de insidiis structis sileat, sic Poenos inde erumpentes non facere; dein non singula quaeque libris historicis tradita repetere, sed summa tangere eaque ornare. Et quid cuique Romanorum cladis apud Trebiam acceptae memori et insignior et tristior imago ante oculos obversari potuit quam cives undis submersi? Quae Heynacherus ipse postea sensisse et, cum in programmate (p. 23) ea iure praetermittat, quasi tacens revocasse videtur, ut nil amplius nobis morandum sit. Sed retinuit paucis mutatis alia duo in dissertatione posita: elephantos hostes fugientes usque in aquam fluvii persecutos (vs. 598 sqq.) maius quam apud Livium, apud quem (c. 55 § 10 sq. et c. 56 § 1) bestiae a Romanis repulsae contra Gallos (sc. Romanis auxiliantes) agantur, consulum militibus detrimentum inferre; alterum est: Scipio saucius et ipse pugnator a poeta inductus; et de hoc iam supra (p. 27 sqq.) dixi Appianumque minime idem tradere exposui. Quod vero ad elephantos pertinet, nec id e certo auctore derivandum est, sed, qua de causa iis gravius momentum tribuerit Silius, patet. Excusaret enim recessum Romanorum, si pugna cum his bestiis iis tam inusitata et incognita fuisset, quam poeta depinxit.[1]) Ob eandem illam causam iam Livium de miro et pestifero beluarum odore fabulatum[2]) plura et Romanos defendentia de elephantis attulisse quam Polybium, qui de strage ab iis edita obiter tantum disputat (c. 74 § 2 et § 7) complures viri docti[3]) recte intellexerunt. Silius igitur nil fecit nisi ut Liviana commenta etiam magis exornaret. Nam apud eum quoque Romani contra, quam cui ex Heynacheri verbis videri possit,

1) cf. vss. 608 sq. et 616.

2) c. 55, § 7.

3) Binder. ann. Fleckeis. 1855. p. 738 sq. Mueller. progr. Conitz. 1876, p. 24.

in elephantem impetum faciunt (vs. 615 sqq.), postquam Fibrenus exemplum fortitudinis dedit (vs. 605 sqq.) ad quod carmini iniungendum poetam forte memoria Minucii illius adiuvit, qui in pugna Heracleotica primus elephantem vulneravit et contra suos saevire impulit.[1]). Et si studio Romanos excusandi ductus eo usque furoris abreptus est Silius, ut bestias in ipsam aquam deduceret, hoc cum eo connectendum, quod etiam milites Hannibalis in fluvio nocturnis imbribus aucto dimicantes induxit (vs. 589, 625 sqq.), quamquam et Polybius et Livius expressis verbis Poenos et ipsos frigore fessos non ultra ripam hostem persecutos esse testantur.[2]) A quibus cur recesserit poeta, non latet. Voluit enim occasionem sibi parari narrationis Homericae de Achille cum Scamandro luctante imitandae. Sic Heynacheri argumenta futilia inveniuntur. Nec melius ad persuadendum apta sunt notata in rerum tractatarum brevi conspectu, qualem vir doctus unicuique caqiti subnectere solet. E quibus breviter inculcem: eum, si saepius offendit laudibus Scipionum neque aliunde eas peti potuisse putat ac de scripto fonte, maxime Ennio, Scipionum amico, numquam sibi in mentem revocasse poetas omnino in heroas et duces suos summos honores cumulare clariusque lumen effundere. Si poeticas proeliorum ad Ticinum et Trebiam commissorum descriptiones poetici exempli vestigia esse contendit (diss. p. 29) hoc est Silium omni ingenii facultate privare. Esset profecto miserandus, si materiae prosa oratione traditae poeticum vestimentum induere non potuisset. Idem valet de auspiciis, quorum Heynachero iudice (diss. p. 30 nr. 1) a Livio diversa afferre non potuisset, nisi Ennium, Euhemeri sectatorem itaque liberius tradita prodigia seligentem et secundum

1) cf. Mommsen. hist. Rom. I,[6] p. 396. Oros. IV, 1, p. 216. ‚Gaium Numicium' eum vocat Florus I, 13, § 9 H. — Similiter Silius cum in pugna Cannensi faces in elephantes turritos coniectas esse comminisceretur IX, 599 sqq., hoc ex pugnis cum Pyrrho factis (ad Asculum: Flor. I, 13, § 10. Zonar. VIII, 5. ad Beneventum: Oros. IV, 2, p. 219. Peter hist. Rom. I[3] p. 273) desumpsit.

2) Polyb. c. 74 § 9. Liv. c. 56 § 7.

leges poeticas conformantem, respexisset! Denique addam Siliana ,certant subtexere cornus Densa nube polum' (vs. 550 sq.) aperte alludere ad Livii ,obruti sunt insuper velut nube iaculorum a Baliaribus coniecta' (c. 55 § 6) neque verba ,nec artatis locus est in morte cadendi' (vs. 553) sine quadam cognatione cum Livii locis velut XXIII, 27 § 7 ,in artum compulsi, cum vix movendis armis satis spatii esset . . . caeduntur', intercedente diota esse. Sed iam satis superque est: et referam de nominibus propriis huic Punicorum parti intextis, scilicet praeter summos utriusque exercitus duces et Magonem Maharbalemque (vs. 562) sat notos: Murranus, qui primus inter Romanos occurrit (vs. 529 et 532) e persona Vergiliana (Aen. XII, 529 et 639) adoptatus idemque nomen militi Flaminii consulis V, 172 et 461 impositum est. Ceteri Romani sunt: Varenus (vs. 543 sq.), nomen, ut Rupertius voluit, ascitum a Cicerone,[1]) cuius orationibus summam operam dedisse Silium Martialis docet epigr. VII, 63, 6, etiam in titulis reperitur velut C. I. L. V, 1439. Allius (vs. 554 et 566) de Vitio teste ,satis frequens est in antiquis inscriptionibus, non item apud scriptores'.[2]) Ligus (vs. 591) solitus nominativus singularis ,Ligurum' est. Eum, ut videtur, Gallorum, qui in fide erga Romanos manserunt, ratione habita in nomen proprium transtulit. Nam inter eos VIII, 605 Ligures enumerat. Sed cognominis vicem ,Ligus' etiam sustinet fast. cons. ad an. a. u. c. 582, dein in inscriptione ineuntis principatus ap. Wilmanns. nr. 889 et C. I. L. III, 4506. Hirpinus (vs. 595), quod nomen melius, etiam contra Coloniensis auctoritatem, cum aspiratione scribimus,[3]) item de gentis nomine arcessitum hominis nomen est ap. Hor. carm. II, 11, 12. Fibrenus (vs. 605) est fluvius a Liri receptus, quem Silius ipse VIII, 399 memorat itaque morem suum

1) cf. Onomast. Tullian. II. ed. Orelli. et Baiter. Turici 1838 p. 638.
2) Exempla vd. onomast. tot. Lat. s. v. ,Allia gens' et ,Allius'.
3) cf. Brambach Hülfsbüchl. f. lat. Rechtschr. p. 43 et supra p. 18 c. adnot. 5.

supra (p. 95) de nominibus a fluviis montibusve derivatis statutum servat. Barbari duo tantum nominatim appellantur: Phalantus (vss. 529, 533) et ‚Cupencus' (vs. 535); quorum prior quare Hannibalis partes sequens fingatur cum eodem ac Spartanus, conditor urbis Tarenti[1]), nomine praeditus sit, e vsu. VII, 665 apparet, ubi rursus Phalantum quendam nisi eundem reperimus. Imaginatus enim est poeta Phalantum Lacedaemonium, Xanthippi ducis mercennariorum comitem, in Africa ex muliere Punica liberos procreasse, quos in exercitu Poenorum militasse par putat.[2]) Cupencus, homo nominis Vergiliani (Aen. XII, 539), si altero oculo captus fuisse dicitur, poetae forte obversabatur Claudius Sanctus, Gallus ille et socius seditionis Claudii Civilis, qui a Tacito (hist. IV, 62) ‚effosso oculo dirus ore' appellatus certe temporibus Silianis omnium ore ferebatur.[3])

De reditu Romanorum agitur versibus 698 sq. In hac re ut poeta non cum historiis consentiat inde consequitur, quod antea de perruptione decem illorum milium nil dixerat, quod Scipionem proelii ipsius participem fecerat et totam Romanorum aciem in fluvium versus detrusam esse narraverat. Itaque Scipio cum collega milites relictos — et hic patet non omnem exercitum interiisse, ut ex Heynacheri verbis aliquis coniciat — ‚munitum in collem' (vs. 699) i. e. in castra reduxit. Hoc autem ne confundatur cum nocturno Scipionis super Trebiam transitu, qualem Livius historiae suae admiscuit,[4]) paucis moneam, ibi palam Romanorum castra in laeva fluvii ripa fuerint necesse esse[5])

---

1) cf. Hor. carm. II, 6, 11 sq. Strab. VI, 3 § 2 = p. 279. Just. III, 4, 7 sqq.

2) In hist. miscell. III, c. 9 etiam Maharbal ‚Lacedaemonius' vocatur!

3) Simile quid poetae obversabatur ad digressionem IX, 66 sqq. inserendam. cf. Blass ann. Fleckeis. 1874 p. 502 adn., contra Occioni. ‚Nuova antologia' ser. II, vol. 4. febbraio. 1877. p. 279.

4) c. 56 § 8 sqq.

5) vd. Weissenbornii notam ad. l. l.

cum Silius in eadem sententia supra (p. 102 sqq.) a me exposita ab initio ad finem maneat.

Novi consules. Iter ab Hannibale in Etruriam factum.

IV, 704—721.

Iam Cornelii et Sempronii consulum annus praeteriit, et Servilius Flaminiusque successerunt. In cuius hominis, Gallorum victoria superbi, ferocis, ambitiosi, inconsulti[1]) indole adumbranda optime poeta cum historicis congruit. Quin etiam, quod magistratum ineuntem cum nauta imperito confert (vs. 713 sqq.), haud scio an hoc loco Polybium imitatus sit, qui et ipse comparatione a re navali petita de Flaminio dolis Punicis circumveniendo dicit c. 81 § 11 *καθάπερ γὰρ νεὼς ἐὰν ἀφέλῃ τις τὸν κυβερνήτην, τὸ ὅλον αὐτανδρὶ σκάφος ὑποχείριον γίνεται τοῖς ἐχθροῖς, τὸν αὐτὸν τρόπον* etc. Eundem auctorem et in eo sequitur, quod Flaminium sicut ille c. 77 § 1[2]) statim ab urbe in Etruriam proficiscentem facit (vs. 718 sqq), cum Livius eum prius Ariminum in castra se contulisse tradat (c. 63 §§ 1, 5, 10, 15),[3]) quod tamen brevitatis causa et, ne res minus poeticas versibus narraret, de industria instituere potuit.

IV, 739—762.

Eadem brevitate Silium in itinere ab Hannibale in Etruriam facto usum videmus. Nam non duo Poenorum in illam terram perveniendi experimenta, ut Livius,[4]) commemorat, sed cum Polybio (III, 78 § 5 sqq.) non nisi unum. Verum enim vero duplicem Livii narrationem in unum contraxisse manifestus est.[5]) Nam nivosi Appennini transi-

---

1) vd. imprimis Pol. c. 81 § 9. Liv. XXII, 3 § 4 sq.

2) cf. c. 75, § 5 sq.

3) vd. Weissenbornii notam ad § 15.

4) XXI, c. 58; XXII, c. 1, § 1. c. 2, § 1 sqq.

5) Quod Sieglinius D. Chronol. d. Belag. v. Sagunt adnot. 58 (p. 29) dicit ‚neben dem Umstande, dass in Silius die carthagischen Nachrichten erhalten sind, ist auch das für die Benutzung primärer

tum, quem Polybius silentio omittit, ex Patavini c. 58 §§ 3 et 8 mixtis cum flosculis Vergilianis petiit, iter per paludes vitiosas factum ex eiusdem XXII, c. 2 § 2 sqq. Quod quamquam Livio l. l. et Polybio III, c. 79 fusius narrantibus duobus versiculis (749 sq.) absolvit, tamen, quid mali insalubre harum regionum caelum Hannibali attulerit, non obliviscitur. Altero enim oculo eum captum esse convenienter cum Polybii (l. l. § 12.) et Livii (l. l. § 10 sq.) relationibus dicit (vs. 752 sq.). Nam si Heynacherus (progr. p. 25, 1), quod oculus apud Silium effluit, discrepantiam inter poetam et historicos intercedere hariolatur, poeta accuratius tantum originem caecitatis exponit, quod variis modis facere potuit, ut oculus aut emanaret aut arefactus viesceret aut pure orto extingueretur aut nescio quid aliud, certe autem ex veteribus annalium scriptoribus repetere non debebat. Quod ne tum quidem cum necessitate sequi putaverim, si an dextro sinistrove oculo imperator Poenorum privatus esset, diligenter adiecisset, ut Cornelius Nepos Hann. c. 4 § 3 iustum dextri oculi usum ei imminutum esse tradit. Hoc ut non fecit Silius, ita poetica fictione cladem, quam apud Trasumennum editurus sit Hannibal, quasi ultionem oculi amissi interpretatur (vs. 760 sqq.)

IV, 823—829.

Locus denique prope Trasumennum lacum ab Hannibale ad insidias delectus a Silio pari fere quam ab historicis specie effertur. Nam ‚adversi vertex montis' (vs. 823) sine dubio est Polybianus ἀντικρὺ λόφος (c. 83 § 1),[1]) ‚laevi colles' (vs. 824) respondent εὐωνύμοις βουνοῖς ap. Polyb. § 4, et versus 825 ‚ad claustra et fauces ducat

---

Quellen beweisend, dass er niemals die in Livius und anderen vorkommenden Dubletten hat', nil perversius esse potest. An ne tantum quidem poetae iudicium tribuamus, ut aut ampliorem narrationem circumcidere aut apertas repugnantias, quales Livius in commiscendis duobus fontibus committere solet, abicere potuerit?

1) cf. Liv. XXII, c. 4, § 4 ‚ex adverso'.

der opaca Sychaeus' coniungit Liviana (XXII, c. 4 § 3) ‚Baliares ceteramque levem armaturam post montis circumducit' et ‚equites ad ipsas fauces saltus . . . locat' etiamsi apud Livium his verbis diversa significantur.[1]) Dispositio copiarum autem, quorum duces Choaspem et Sychaeum effictos esse supra (pp. 58 et 60) demonstravi, non rerum memoriae sed imitationi Vergilii debetur, et quidem maiorem similitudinem cum loco Aeneid. XI, 463 sqq.[2]) prae se fert quam cum versibus a Rupertio indicatis (ib. 515 sqq.). In fine si Poenus legatis ex patria urbe missis dicit: exspectent victoriam et deinde domum nuntient, meminit forte poeta legationis, quam Hannibal, ubi primum maris litus attigit, ad victorias suas divulgandas Pol. III, c. 87 § 4 sq. Carthaginem misit.

V, 1—6. 24—343.

Pugna ad Trasumennum lacum commissa.

Tandem ad reservatas libri quinti partes accedimus: cuius initio rursus inde orditur poeta, ut dicat colles Etruscos ab Hannibale occupatos esse. Hinc si adiecit (vs. 4) ‚laeva parte' lacum stagnasse, immerito viri docti ‚dextra' postulasse mihi videntur. Nam tantum abest, ut quod colles IV, 824 ‚laevi' dicti sunt, hoc cum nostro loco pugnet, ut, si e. g. Hannibalem a meridie collium septentrionem versus lacui oppositorum et occidentali lacus litore in angustias penetrasse, deinde autem fronte versa consedisse posuerimus, iidem colles, quos ante ad sinistram manum Poeni habuerunt, ad dextram, lacus vero ad laevum siti sint. Deinde si in vs. 95 etiam Romanis aqua ad laevam fuisse dicitur, eos a meridie et orientali litore in planitiem montibus circumclusam illapsos esse putandum erit. Quae cum

1) vd. Woelfflin ad l c. — Praeterea conferantur ‚Hinc pariter rupes, lacus hinc, hinc arma simulque Consona vox (= ‚clamore undique orto' Liv. XXII, 4, § 7) urget' (Sil. V, 198 sq.) et ‚ubi ab lateribus montes ac lacus, a fronte et ab tergo hostium acies claudebat' (Liv. XXII, c. 5, § 6)

2) cf. etiam Sil. XII, 172 sqq.

per loci naturam, quam Nissenus in Mus. Rhenan. tom. XXII (1867) p. 565 sqq. descripsit, fieri posse videantur, ut Hannibal ibi, ubi hodie Borghetto, Flaminius, ubi hodie Passignano situm est, in convallem pervenerint, forte poeta ipse lacum quaeque circa eum sunt, inspexit et descriptionem suam ad imaginem, quam cogitationibus amplexus memoria tenuit, conformavit. Cui coniecturae etiam limi circa ripas allusi commemoratio (vs. 6)[1]) favet.

Necdum pleno sole exorto Romanos in insidias quasi in rete a piscatoribus iactum irruisse (vs. 24 sqq.) etiam Polybius et Livius iam a Rupertio laudati memoriae prodiderunt. Contra Livium nil de incomposito Flaminii agmine (vs. 29 sqq.) et de nimiis impedimentis — sic enim ‚lixarum vulgus' vs. 32 interpretandum censet — attulisse Heynacherus (progr. p. 25, 4) monet, cum Polybius sicut consulem c. 83 § 7 congruenter cum Silio (vs. 28 sq.) signa praecedentem faciat,[2]) ita c. 82 incessus inordinati mentionem iniecerit; quem consensum ex communi antiquo fonte, cuius, ut Flaminio obtrectaret, interfuerit, neque vero e Coelio repetendum esse. At Polybius quidem *τοὺς ἐκτὸς παρεπομένους τῆς ὠφελείας χάριν* maiorem quam ipsos arma ferentes numerum explesse contendit (c. 82 § 8), sed non modo non vocabulo *ἐκτὸς* discretos fuisse hos homines a militibus indicat, verum etiam mixta fuisse inter se diversa copiarum genera nullo verbo commemorat. Potius tota haec pictura e memoria Flaminii clam et tumultuarie in provinciam abeuntis, qualem Livius XXI, c. 63 § 5 sqq. repraesentat,[3]) nata videtur, nec nimis audacem me praebeam, si non casu evenisse iudicem, quod ap. Liv. l. c. § 9 ‚l i x a e modo sine insignibus, sine lictoribus profectum clam' Flaminium patres

---

1) cf. tamen Liv. XXII, c. 6, § 6 ‚per prima vada p a l u d i s'.

2) Ceterum ‚consul carpebat iniquas — vias' nimis artificiose vertit Heynach. ‚Der Consul schalt über den schlechten Weg'; ‚carpere' potius idem valet ac ‚legere, proficisci'.

3) cf. Liv. XXI, 63, § 7 ‚f u g i s s e' (Flaminium) et Sil. V, 33 ‚pugnam f u g i e n t u m more petebant'.

queruntur, et Sil. V, 32 ,lixarum vulgus' ante omnia consuli exprobatur.

Nebulam e lacu emissam esse etiam Silius V, vs. 35 sqq. concedit. Sed cum ea apud Polybium[1]) et Livium[2]) per totum pugnae tempus Romanos libera circumspectione prohibens haud minima cladis causa exsistat, Silius, priusquam proelium ineatur, solis lumen per spissum et tenebricosum aerem perrumpens facit. (vs. 55 sqq.)[3]) Id Heynachero (propr. p. 27, 8) indicium alieni fontis esse nemo mirabitur. Sed videamus, num ratione aliqua ductus poeta consulto historicorum narrationem mutandam et carmini heroico accommodatius formandam forte statuerit. Et puto talem causam non esse occultam. Si enim conflictum adversariorum exercituum nebula et tenebris involutum fecisset, occasio abrepta erat singularia certamina tam luculenter describendi. Sicut igitur Decius tribunus militum, postquam collem Samnitibus imminentem cepit, cum undique ab hostibus circumsessus audacter per media eorum castra ad consulem suum redire in animum induxisset obque eam rem ab omnibus militibus maxime laudatus esset, a Livio VII, c. 36 § 6 ,ad conspiciendam tantam virtutem luce ac die opus est' exclamasse fingitur, ita etiam Silius, ut fortiter ad Trasumennum facta clarius illustraret, omnem caliginem removit; praesertim cum poetas, vera amplificantes et exaggerantes, proelia per totos dies extendere nec priusquam nocte ingruente finire solitos esse (cf. supra p. 92) meminisset, ad quam rem infra etiam revertar.

Auspiciorum, quae inde a vs. 59 referuntur, diversitatem iterum Heynacherus (progr. p. 26, 5) nobis obtrudit. De quibus quid in universum sentirem, iam supra (p. 86) exposui. Ad singula haec respondeam: Cur Silius, si pullos sacros vesci noluisse dicit vs. 61 sq., hoc non e Ciceronis narratione, qui

1) c. 84, § 1. cf. §§ 2, 11 et 13.

2) XXII, c. 4, § 6. cf. c. 5, § 3. c. 6, § 8 sq.

3) Quod App. Hann. c. 10 nebulam omnino non commemorat, hoc ex brevitate fit.

de eadem re disputans de divin. I, 35 § 77 ob terrae motum § 78 e Coelio memoratum hunc scriptorem secutus esse putatur, transferre potuerit, nescio. Alterum prodigium de tauro terribiliter rudente et, cum iam securi ictus esset, vinculis ruptis ab ara refugiente (vs. 63 sqq.), quod Heynacherum fefellit, a Livio, ut iam alii observaverunt, non in eodem quidem rerum connexu relatum invenimus, sed paulo ante XXI, c. 63 § 13, ut taceam iam Drakenborchium et Rupertium alios poetarum locos, ubi eiusdem ominis mentio fit, attulisse nec dissimile esse, quod Statius refert Theb. XI, 228 sqq.[1]) Porro si una cum signis vi e solo revulsis terram sanguinem emisisse subnectit (vs. 65 sqq.)[2]) et Jovem tot fatalia fulmina in lacum iaculantem facit, ut ipsae undae flammis ardere visae sint, quin ea de suo adiecerit,[3]) nemini erit dubium, qui, quam frequentata in prodigiis cruor et fulgura fuerint, secum reputet. Quod e. g. Obsequentis de prodigiis libellum perlustranti facile est videre. Nec Statius in enumerandis ominibus VII, 404 sqq. fulmina et imbrem sanguineum omisit. Deinde poetam, ut alia auspicia adderet, movere poterant Livii verba XXI, 62 § 1, ubi ‚motis semel in religionem animis' multa etiam praeter relata a se prodigia tum temporis credita esse a timido vulgo narrat.[4]) Denique si lapsum consulis praeteriit Silius, inde quomodo de alio fonte aliquid concludi possit, non intelligo, nisi quis forte poetam, quotienscumque nonnullos versus procudere vellet, Livii volumina evolvisse et omnia eius verba accurate in versus transformasse putet, nec potius post lectum Livium, quae praecipue memoria tenuit, in usum suum convertisse.[5]) At

---

1) cf. etiam Val. Max. I, 6, 12 ‚ab ipsis altaribus hostiarum fuga'.

2) cf. etiam, quod Livius de vitulo altaria fugiente prodiderat XXI, 63, § 13 ‚multos circumstantes cruore respersit'.

3) cf. Blass. ann. Fleckeis. 1874, p. 477.

4) Sic Florus I, 22, § 14 apum examen ex Livii XXI, c. 46, § 2 huc retraxit.

5) cf. Nachtr. z. Sulzers Theorie. VII, p. 376. Blass. ann. Fleckeis. 1874, p. 476.

si, quid Flaminius signa quasi radicibus infixa e terra evelli non posse nuntiantibus responderit, non refert,[1]) id inde natum est, quod totam narrationem aliter ac Livius disposuit. Is enim postquam omnes Flaminio pugnam dissuadentes fecit, cum signo ad castra movenda dato res in eo sit, ut Romani Arretio proficiscantur, tum prodigiorum mentionem inicit (XXII, c. 3 § 8 sqq). Silius vero agmen, cum iam in angustias intrasset, constitisse deorumque auspicia ante initam pugnam egisse fingit[2]) et omnibus demum, quae selegit, monstris deinceps enumeratis preces, adhortationes, consilia Flaminio data applicat. Itaque prodigiorum seriei consulis responsum immiscere non potuit, nisi totum tenorem interrumpere voluit.

Eorum qui apud Livium signis numinum territi consulem monent, ne in certamen temere descendere velit, partes apud Silium Corvinus quidam suscipit (vs. 77 sqq.). Quod cum sit cognomen gentis Valeriae, Heynachero (progr. p. 26, 6) venit suspicio Silium forte usum esse Valerii Antiatis annalibus, quem homines suae gentis in caelum extulisse constat. Ad fulciendam hanc sententiam Heynacherus affert Silium II, 8 sqq. Poplicolam honorificentissimis epithetis ornare, XIII, 244 Volesum quendam, qui ante Capuae portas hosti fugienti caput amputat, celebrare, de duce praesidii Carthagini Novae impositi XV, 232 dicere ‚Aris ductor erat', cum Livius XXVI, 49 § 5 testetur ‚Arinem praefuisse Punico praesidio deditumque Romanis Antias Valerius, Magonem alii scriptores tradunt'.[3]) Denique Antiatem, quem Fabii Pictoris historias secutum esse unde hauserit nescio,[4]) ob amplitudinem operis, ob fabulas et notas

---

1) cf. tamen ‚Ocius interea propelli signa iubebat' (Sil. V, 53) et ‚cum ocius signa convelli iuberet' (Liv. XXII, 3, § 11).

2) Potuisset hoc Heynacherus, si paulo curiosior fuisset, comparare cum App. Hann. 10 *ὁ Φλαμίνιος . . ἅμα ἕῳ σμικρὸν μέν τι διέτριψε, τὸν στρατὸν ἀναπαύων ἐξ ὁδοιπορίας καὶ χαρακοποιούμενος.*

3) cf. etiam Kortuem. gesch. Forsch. p. 231.

4) Videtur iudicium suum ex ea sola re sumpsisse, quod et Fabium et Valerium Scipionum gloriae obtrectasse legerat. Quode

exsuperationes docto poetae in deliciis fuisse putat. Sed ut primum vanis coniecturis quasi tibicines subducam, P. Valerium legatum in Hispaniam missum e Livio desumptum et poetica tantum licentia illustriore Poplicolae cognomine affectum esse paulo superius (p. 104 sq.) iam docui et quod semel ‚Volesus', quem ne longiore quidem excursu poeta dignatur, cum fictis tot aliis personis pugnae imagini interponitur, nemini sano pro tanta nec invidis tollenda Valeriorum gloria mirum videbitur. Quod autem ducem illum, Carthaginis Novae praefectum, attinet, eius nomen non ex ipsis Valerii Antiatis libris Silium repetivisse persuasum habeo: nam quamquam Scipionum obtrectatio, quam Valerio cordi fuisse nec Heynacherus negavit, usum quidem scriptoris non plane excludit, tamen quin poeta illum de ipsa Carthagine Nova a Romanis capta narrantem contempturus fuerit, nullus dubito; nam is Gellio teste[1]) puellam nobili cuidam iuveni Hispano desponsam, a qua quod sponso reddita se abstinuerit, Silio ad castitatis laudes efferendas vix verba sufficiunt (XV, 274 sqq.), a Scipione voluptatis causa detentam esse tradidit.[2]) Praeterea ipsum nomen duci a Silio inditum probat menti poetae non nisi leviter Livii locum citatum inhaesisse, quia ‚Arinem' non facile quisquam a nominativo, qui est ‚Aris', derivabit; neque vero propterea ut Rupertii ‚Arin', mihi probetur, ulla causa commoveor. Postremo, quod ad genus dicendi Valerii Antiatis

---

cf. Liebaldt ‚De Valerio Antiate annalium scriptore' progr. Numburg. 1840, p. 14 sq. cum adnot. 3; sed idem p. 21 ‚nos nihil scire respondendum est quaerenti, ecquem vetustiorum, qui annales confecerunt, Valerius prae ceteris secutus sit', et Nitzsch. röm. Annalistik, p. 350. — ‚Dass er (Antias) die Geschichte des zweiten punischen Krieges ausführlich erzählt, darüber kann kein Zweifel sein, wie ich glaube, jedenfalls mit Benutzung sehr guter Quellen, aber nicht allein des Fabius.'

1) VII (VI), 8, 3.

2) Ad idem Antiatis frgm. (25 ap. Peter. hist. Rom. rell.) provocat quidem Heynach., sed quid inde cum veri similitudine sequeretur, non vidit aut videre noluit.

spectat, quamvis a multis suo tempore lectitaretur, quia fragmenta brevia plerumque non formae, sed rerum causa laudantur, Frontonis vero iudicium (epist. p. 114 Nab.) ‚historiam scripsere . . . Antias invenuste' ex nimio antiquitatis studio repetendum est, Peter hist. Rom. rell. p. CCCVII recte dixit, ‚in hac re nobis omni iudicio abstinendum est'.[1]) Attamen non ita elegans fuisse coniecit Krause a Liebaldtio De Val. Ant. p. 22 citatus et ex horum librorum origine consequitur, ita ut Nisseno (krit. Untersuch. ü. d. Quell. d. viert. u. fünft. Dekade des Liv. p. 45) ‚neben dem trockensten Chronikenstil eine Menge aufgepuzter Schlachtberichte und langer inhaltsloser Schulreden' ibi congesta fuisse viderentur.[2]) Sed ut ad Corvinum revertar, cur hoc nomine vatem (vs. 80) praeditum esse voluerit poeta, in propatulo est. Sicut enim ipse indicat, corvus, qui a Statio Theb. III, 506 ‚comes obscurus tripodum'[3]) et saepius[4]) ‚sacra ales' vocitatur, Apollini sacer et vaticinandi peritus habebatur, quam ob rem ipse deus Ov. Met. V, 329 in corvum se convertisse fingitur. Ceterum quam, qua affinitate ‚Corvinus' et ‚corvus' inter se coniuncta essent, unicuique obviam fuerit, e Livio patet, qui eundem consulem mox ‚Corvum' (VII, 28 § 10) mox ‚Corvinum' (ib. c. 32 § 15) appellat.

Sed etiam in iis, quae Corvinus ille apud Silium oratione exprimit (vs. 82 sqq.) et Flaminius respondet (vs. 107 sqq.), Heynacherus (progr. p. 27, 7) vestigia, quae ad perditos auctores ferrent, invenit, quamquam sibi ipsi recto sensu obiecit ‚Aber können diese Gedanken nicht der Phantasie des Dichters ihre Entstehung danken?', sed ita tantum, ut meliorem instinctum statim suppresserit. Et pudet profecto referre omnes cogitationes, quarum Heynacherus fontem desiderat, quamquam Silius et unusquisque similia trac-

1) cf. Liebaldt l. c. p. 21.
2) cf. etiam Schwegler. h. R. I, 93.
3) vd. Barth ad l. l.
4) e. g. Florus I, c. 8. H.

tans ut in eas non incideret, vix fieri potuit. Attamen addam, etiamsi Livius expresse non dicat ambitione Flaminium impulsum esse, ut quam celerrime pugna commissa victoriae spem collegae praeriperet, Polybium III, c. 80 § 4 tradere Hannibalem praevidisse, *διότι* (sc. *Φλαμίνιος.*) *παρέσται προχείρως εἰς πάντα τόπον ἑπόμενος, σπουδάζων δι' αὑτοῦ ποιήσασθαι τὸ προτέρημα καὶ μὴ προσδέξασθαι τὴν παρουσίαν τοῦ τὴν ἴσην ἀρχὴν ἔχοντος*, de superbia autem eius et spiritu, quem e bello contra Gallos gesto sibi sumpserit Livium quoque consentire, cum XXII, c. 3 § 4 consul ‚ferox ab consulatu priore' (223 a. Ch. n.) nominetur. Nisi quod Silius Flaminii gloriam[1]) cum M. Claudii Marcelli amplificandi studio confundit. Nam etiam eum, ut Marcellum Virdomaro devicto tertia spolia opima tulisse constat,[2]) spoliis Gallorum regulo dereptis tumidum facit (vs. 137 sqq.), forte motus Polybii verbis, qui post victoriam e Gallis Flaminio duce reportatam dicit II, 33 § 9 *οὐκ ὀλίγων δὲ σκύλων κρατήσαντες ἐπανῆλθον εἰς τὴν Ῥώμην*. Hostis ille si ‚Gergenus' a poeta appellatus esse creditur, non puto bene dici ‚Gergeni[3]) spolium', si statim enuntiatione relativa ad eundem hominem vocibus ‚rege caeso' recurritur; itaque forte non nomen proprium hic latet, sed potius adiectivum materiam, unde lorica facta ‚illacerabilis' fuerit, significans; qualium ad ductus litterarum traditarum proxime accedit ‚tergeminum', quod triplici taurina pelle tectam galeam non inepte indicare possit, postquam ipse poeta eam ex aere et corio bubulo factam fuisse narravit (vs. 132). Si vero auspiciis neglectis e sola dextra salutem esse petendam dicit Flaminius (vs. 118 sqq.), minime cum Heynachero nobis ad Coelium confugiendum est, sed apud Livium (XXII, c. 5 § 2),

1) quamvis Flaminius ob positionem, qua usus pugnam cum Insubribus commisit, vituperetur a Pol. II, 33, § 7 sq.

2) Liv. perioch. XX; Verg. Aen. VI, 856 sqq.; Prop. V, 10, 38 sqq.; Sil. I, 133. III, 587. VIII, 254 sq. XII, 279 sq. Flor. I, 20, § 5 H. Eutr. III, 6 Dr.; Vict. vir. ill. c. 45; Oros. IV, 13, p. 251 hist. misc. III, 4. cf. Plut. Romul. 16. Marcell. 6 et 8.

3) ‚gergeni' L.³ F. ‚gergenni' V. ‚gergaeni' O.

etiamsi non plane idem cogitatum, tamen apprime simile occurit in his: ,nec enim inde (ex angustiis) votis aut imploratione deum, sed vi ac virtute evadendum esse'.

In pugna ipsa, in cuius initio quem legimus versum (189) ,Ac tuba terrificis fregit stridoribus auras' a Wezelio non ad notam illam Ennii onomatopoeiam ,At tuba terribili sonitu taratantara dixit' (ann. vs. 452), a Vahleno inter ,incertae sedis fragmenta' positam, relatum esse paene mirandum est, optime accidit, quod scriptores ipsi nec instructam aciem tradiderunt nec, cum necopinato consul in insidias irrueret, tradere omnino potuerunt;[1]) alioquin enim, quin Heynacherus aliqua discrepantia observans viam celerius progrediendi nobis obstrueret, non esset dubium. Itaque restat tantum, ut personarum, quas poeta in hac carminis parte agentes induxit, rationem reddam.[2]) Equibus praesumendus videtur Appius, quem poeta vss. 268—332 (cf. 373) gloriosissimis facinoribus extulit et ipsum Magonem, quamvis fatis ad eius necem destinatum, paululum tremuisse (vs. 306 sqq.) finxit. Kortuem enim gesch. Forsch. p. 231 persuadere sibi non potuit, hunc iuvenem tam luculenter descriptum solis poetae commentis deberi. Sed Claudiorum gens, cui proprium illud praenomen erat, adeo optime de re publica Romana saepe meruit, ut monumento iis carminibus statuendo, cum e belli Punici secundi tempore non nisi unus Appius Claudius, consul anni 212 a. Chr., notus[3]) nec

1) Pol. c. 84, § 2—5. Liv. XXII, c. 4, § 7 (cf. c. 5, § 7).

2) Breviter pauca inter se comparare iuvat: Si Picentes vs. 208 sqq. primi in hortem irruunt, forte hic recordatio valuit alae illius Picentinae, quae, cum legiones Romanae a Claudio Civili eiusque sociis obsessae se dedissent, occiso Voculae legati interemptore initium expiandi dedecoris fecit: Tac. hist. IV, 62 v. f. — ,Submittunt clipeos curvato pondere teli' (vs. 216). cf. ,ut . . opprimerentur . . quidam onerati magis his (armis) quam tecti' Liv. XXII c. 5, § 3; ,hortantes se quisque' (vs. 218). cf. ,tum sibi quisque dux adhortatorque' Liv. ib. § 7, etsi utroque loco apud Silium de Poenis, apud Livium de Romanis sermo est.

3) vd. Drumann. hist. Rom. II, p. 177.

in Silii posterioribus libris (XIII, 452. XVII, 300) honore suo deminutus sit, ne gratiam quidem contemporanei generosi et cognominis, qualis fuit L. Appius Maximus Norbanus ,Domitiano imperante proconsul Bithyniae et Plinii iunioris amicus,[1]) sibi conciliaturum voluisse[2]) poetam suspexerim. Ceteri, qui aut ante pugnam virtutis causa nominatim appellati aut ipso proelio excellentes in hac poematis parte commemorantur, hi sunt: Orfitus (vs. 166) — sub quo quomodo multi interpretes, quamvis de eo ,bellatore iubas aptante' dicatur et vs. 169 eius dextrae manus mentio fiat, alacrem equum intellegere potuerint nec Rupertius has nugas ante prorsus reiecerit quam lecta Ernestii nota ideoque in ,Addendis et Corrigendis' (p. 201) ascripta,[3]) non assequor — ,f' littera, non ,ph' cum vulgatis editionibus, scribendum est, ut multi optimi temporis tituli docent velut ap. Wilmanns. exempl. inscr. Lat. nr. 84, 285, 287, 685, 696a, 1192, 1525, 1744, 2775, C. I. L. III, 419, 3347 saep. V, 798 (omnes ex altero p. Chr. saeculo). Murrani nomen (vs. 172) iam supra p. 108 tractatum est. Aequanus (vs. 176 et 183), quamquam de Vitius tot. Latin. onomast., quem noster locus fugit, vocem adiectivi tantum vice fungentem agnoscit et, num in inscriptionibus inveniatur, dubitat, legitur C. I. L. IV, 133.[4]) In Laterano (vs. 229 et 251) legendo cui non extemplo memoria L. Sextii Laterani, primi illius plebei consulis[5]) renovetur? nec Siliano tempore nomen obsoletum fuisse Tacitus testis est ann. XI, 36, XIII, 11, XV, 49 et 60 et Iuvenalis, qui X, 17 egregias Lateranorum aedes in Caelio monte sitas, postea sedem episcoporum Romanorum, commemorat. De Lentulo (vs. 231

---

1) cf. Plin. epist. X, 35. et 66. Orelli. inscr. 772, Aurel. Vict. epitom. c. XI.

2) quod forte fecit in Pediano laudando (XII, 212 sqq.) cf. Cosack. quaest Sil. p. 53 sq.

3) cf. comm. de Silii vit. et carm. p. LXIX infra.

4) cf. etiam Huebner. eph. epigr. II (1875) p. 31.

5) vd. fast. consul. ad an. ab. urb. cond. 388 (C. I. L. I, p. 430 et 508).

et 253)[1]) tribus verbis commonefaciam, quam memorabilibus annis Lentulorum familia consulatum obtinuerit: anni enim 275us, quo Curius Dentatus Pyrrhum devicit et, ut Italia decederet, effecit; 201us, quo pacem Carthaginienses gravissimis condicionibus a Romanis impetraverunt; 146us, quo Scipio Carthaginem, Mummius Corinthum delevit; 49us, quo alterum bellum civile exarsit, omnes Lentulum consulem habuere.[2]) Bagas[3]) barbarus (vs. 235), cuius nomine iam II, 111 alium Hannibalis militem poeta designaverat, non ut de-Vitius l. l., cum Strabonis loco (XII, 3 § 25 = p. 553), ubi *Βάγας* inter nomina apud Cappadoces et Paphlagones frequentia refertur, coniunxerim, sed potius cum ,Baga', rege Maurorum, a Livio XXIX, 30 § 1 (ubi alii ,Gala' legunt) commemorato vel cum urbe Numidiae, cuius incolae ab Appiano Numid. frgm. 3 *Βαγαῖοι* vocantur. Syrticus (vs. 243) a Syrtibus nomen traxit itaque quasi earum accola repraesentatur. ,Jertes' (vs. 259 et X, 299)[4]) est nomen vere Africanum, sed forte melius aspirationis signo praeposito scribendum. ,Hiertas' enim rex Numidiae erat, cui Pompeius, cum contra Sullae adversarios in Africam profectus esset, una cum Domitio Ahenobarbo exitium paravit, testibus Livii epitomatore (lib. LXXXIX.)[5]) Eutropio (V, 9)[6]) Orosio (V, 21 p. 351).[7]) Nerius Romanus (vs. 260) ex Horatii satiris (II, 3, 69) notus est itemque Rullus (ib.),

---

1) cf. X, 261 et 290 sq. = Liv. XXII, 49 § 4 sqq.

2) vd. Fischer. ,Röm Zeittafeln von Gründung der Stadt bis auf Augusts Tod' (1846), p. 68, 95 sq., 128 sq., 270 sqq.

3) In hanc scripturam libros manu exaratos consentire mecum communicavit Blassius.

4) ,Jertae' X, 299 certum est, etiamsi ,inerte' O. V; V, 259 ,iertes' s. ,iertas' F; contra L[3], optimus codicum, qui aetatem tulerunt ,inertes'; et sic codices secundum post eos locum tenentes O. et V., nisi quod prior ,inertis' scribit. (ex Blassii litteris).

5) ,Hiertam' (acc.) cod. Nazarianus. Male plerique editores nec non Weissenbornius ,Hiarbam'.

6) ,Hierdam' traditur.

7) ,Hiertam' mss., quantum scimus, omnes.

quod nomen ex Heinsii emendatione etiam XVII, 426 restitutum est, ex Ciceronis orationibus de lege agraria contra P. Servilium Rullum trib. pleb. habitis.[1]) Volunx Afer (vs. 261), ut supra pater eius Bocchus (p. 59) ex historia belli Jugurthini repetitus est.[2]) Atlas (vs. 270) eo maiore iure personae specie induitur, quia mons ille Africae septentrionalis ex Japeti Clymenesque filio a Perseo demum, cum hospitalitatis officia negaret, factus esse ferebatur.[3]) Idem si ‚a litore Ibero' fuisse fingitur, nulla offensionis causa est. Nam cum Ovidius l. in adn. 3. l. vs. 632 sqq. ‚Ultima tellus rege sub hoc et pontus erat, qui Solis . . . fessos excipit axes[4])' cecinisset, alias autem plerumque litore Tartessi sol Oceano immergi perhiberetur ,[5]) facile declaratur illa confusio. Itaque eodem nomine alter Hispanus, qui in ludis funebribus a Scipione editis curru certat, praeditus inducitur XVI, 397 sqq. Potuit etiam montis cogitatione iniecta grande barbari corpus poeta innuere velle, unde de-Vitius in lexico ‚(Atlas) nomen *θετικόν* factum est de homine magnae staturae'. Isalcas[6]) (vss. 289 et 296), Cinyphius, ab Appio lapide iacto contusus, quem, ut magis lectorum oculos in eum convertat, sponsum filiae Magonis fuisse poeta simulat — quamquam iuvenem Hannibalis fratrem[7]) iam tum nubilem filiam habuisse vix fide dignum videtur,[8]) cum Hannibal ipse tempore, quo imperator creatus est, circiter vigesimum sextum demum vitae annum ageret[9])

---

1) vd. Teuffel. hist. litt. Rom.³ p. 316.

2) vd. Sall. Jug. c. 101 § 5, c. 105 § 3 sqq., licet ibi nomen ‚n' littera omissa tradi videatur.

3) cf. Ov. Met. IV, 654 sqq.

4) cf. Sil. I, 209 sq.

5) e. g. Sil. III, 399. VI, 1. X, 537 sq.

6) sic L³ priore loco; ceteri ‚isalces'.

7) cf. Polyb. III. c. 71 § 6.

8) An incidit poetae obscura memoria verborum Livii: ‚sororis filiam Hannibalis, quae proxime Oezalci regi nupta fuerat' (XXIX, 29 § 12.)?

9) ἓξ πέντε καὶ εἴκοσιν ἐτῶν γεγονώς Zon. VIII, 21.

et huic aetati convenienter Silius III, 66 ei, dum Saguntum oppugnat, filium natum ese finxisset — Isalcas igitur ex ‚Isalca',[1]) Gaetulorum praefecto, ap. Liv. XXIII, 18 § 1 desumptus est. In transitu tantum Durii (vs. 323) mentio fit, quem fluvio nomen suum debentem Hannibal ante Sagunti moenia occiderat (I, 438). Mamercus denique (vs. 332) et praenomen gentis Aemiliae est, velut fast. cons. ad ann. 677. a. u. c., Suet. Caes. 1., nec cognomen rarum, velut ap. Tac. ann. I, 13; III, 23 saep. ‚Scaurus Mamercus', ib. XI, 22 ‚Aemilius Mamercus' occurrunt.

V. 376—529.

Dum Hannibal cum Magone vulnerato in castris abest et sanando fratri operam dat, Flaminius consul in densissimos hostes summa cum fortitudine irruit, qualem etiam Livius ei tribuit XXII, c. 5 § 1 sq. et 6 § 2.[2]) Ex Carthaginiensium vero parte Sychaeus, de quo iam p. 57 adn. 3 et p. 58 egi, in saltibus, postquam nonnullos nominatim appellatos necavit (vs. 461 sqq.), hostes fugientes et prae metu in duas vetustas grandesque arbores, aesculum (vs. 481 sqq.) et quercum (vs. 485 sqq.), ascendentes nec tam Romanos quidem quam eorum socios ex Sicilia missos[3]) (vs. 489 sq.) persequitur et ad internecionem redigit. Haec auxilia cum Livius XXII, 37 post auditam demum cladem Flaminii Hieronem Romanis tradidisse narret, grata Heynachero (progr, p. 27, 9.) causa oblata est descriptionis Silianae ad fontes deperditos referendae. Sed Polybius iam de Cn. Servilio et C. Flaminio consulibus designatis III, c. 75

1) sic editiones; calami errore in codicibus prima syllaba iterata videtur. (‚isisalcae'.)

2) ‚Clamor vario discrimine vocum' (vs. 393.) reddit Liviana ‚mixtos strepentium paventiumque clamores' (c. 5 § 4 cf. § 1 ‚dissonos clamores').

3) Si eorum ‚cohors' epitheto, quod est ‚Ennaea' ornatur, hoc non ita interpretandum est, quasi ex ipsa urbe ‚Enna' conscripti fuerint, sed adiectivum ab urbe derivatum poetico more totam terram, in qua illa sita est, significat i. e. idem ac ‚Siculus'.

§ 7 clare dicit: *ἔπεμψαν δὲ καὶ πρὸς Ἱέρωνα περὶ βοηθείας, ὃς καὶ πεντηκοσίους αὐτοῖς ἐξαπέστειλε Κρῆτας καὶ χιλίους πελτοφόρους.* Hanc relationem poeta arripuit, ut partem ignominiae a Romanis ad socios eorum delegaret, etiamsi ita orationem instituit, ut etiam alios praeter Siculos fugae se mandasse non praefracte neget (vs. 469) et particula ‚hac' in vs. 489 adhibita in dubio nos relinquat, utrum in ambabus arboribus an in altera tantum suffugium miseri illi Sicilienses quaesiverint. Quomodo vero hanc ipsam digressionem, ut ex Rupertii notis cognoscimus, non illam quidem plane inauditam, qua terga vertentes, cum in cacumina arborum erepsissent, praeter eos, qui ramis pondere insolito fractis in terram ceciderunt (vs. 495 sq.), altero trunco bipenni caeso (vs. 499 sqq.), altero incenso (vs. 510 sqq.) in manus hostium redacti interiisse finguntur — unde autem dolabra et ignem in medio pugnae ardore Carthaginienses ceperint, minime clarum —, quomodo in eo Kortuem. gesch. Forsch. p. 231 et Heynacherus l. l. quicquam historici reperire potuerint, vix mente comprehendo. Totum enim commentum adeo fabulosum est et adeo poeticam inventionem olet, ut ne experiri quidem, num in antiquioribus Silio scriptoribus similia occurrant, operae pretium fore ducam. At tamquam omnem modum saeviendi Sychaeus excesserit simulque ne ipse inultus cadat, Flaminius accurrit et crimen caeso auctore vindicat. (vs. 517 sqq.) Pauca de nominibus personarum praeter Flaminium et Sychaeum huic carminis parti iniunctis sufficient: De Bogo enim (vs. 402), augure Poenorum qui iam ante pugnam Ticinensem IV, 131 commemoratus erat, supra (p. 86 sq.), quod opus erat exposui. ‚Bagasus[1]') (vs. 410), quamvis et Blassius mecum per litteras communicaverit se eo inclinare, ut ob versum Vergilii (Aen. XI, 670), ubi idem tradatur, ‚Pagasum' h. l. exstitisse putet, non causa est, cur addubitetur. Videtur enim nomen,

---

1) ‚bagaso' (dat.) L³ F. ‚bigaso' O. V. Num in Coloniensi ‚Pagaso' exaratum fuerit, ut editores dicunt, incertum est, cum Heinsius versum ex eo codice non huius nominis causa citet (Blass.).

nisi quod sonus vocabuli Latinae linguae magis adaptatus est, petitum esse ex urbe Libyae interioris, quae *Βάγαζα* a Ptolemaeo IV, 6, § 6 appellatur. Libo (vs. 411), e. g. in gente Scriboniorum crebrius est, quam ut exemplis illustrari debeat. Othrys (vs. 437), quod nomen a noto illo Thessaliae monte mutuatus Silius hominem barbarum ingentis horribilisque figurae (vs. 434 sqq.) designare voluit, consuetudinem poeticam saepius iam tactam[1]) sequitur. De Murrani nomine, ex versu 172 repetitum vs. 461, supra p. 108 actum est. Tauranus denique (vs. 472), etsi alibi a me non repertum est, non vereor, ne non recte formatum sit, quamquam Taurinum, quod v. c. exstat C. I. L. II, 2960. III, 4439. V, 1119 saep., emendatione restituere propinquum est.

V, 584—665.

Dum Poeni mortuum Sychaeum clipeo impositum in castra reportant (vs. 584 sq.), Hannibal tali aspectu summo furore accensus (vs. 603 sqq.) consulem ipsum petit (vs. 607 sq.); qui cum nec ipse oblatam caedendi hostis spem recuset (vs. 608 sq.), res iam in eo est, ut ambo, ad certamen singulare parati, sibi obviam eant (vs. 609 sq.). Quia vero Flaminium non ab Hannibale interfectum esse Silius scivit, terrae motu, quem gravissimum pugnae tempore accidisse a Livio (c. 5 § 8) acceperat cuiusque imaginem (vs. 611 sqq.) Ciceronis et Plinii locis ab editoribus citatis complere potuit, ita usus est, ut adversarios certaturos eo diremptos faciat. Quid autem discrepantiae Heynacherus observaverit aut quid sibi voluerit, cum Silium illum concussum pinguissimis coloribus depinxisse statueret (progr. p. 27, nr. 10), nescio. Certe nil reliqui fecisset, si etiam id, quod a nostro vs. 616 ‚dissiliens tellus' nominatur, cum Zonarae locutione *πολλὰ δὲ καὶ τῶν ὀρῶν . . διέσχε* (VIII, 25) vel cum eo, quod Tzetzes ex Diodoro excerptum (Dind.

1) vd. supra ad nomina, quae sunt ‚Pelorus' (p. 98) et ‚Atlas' (p. 123).

Diod. t. IV. p. 351.) praepostero loco chiliadibus inseruit, σεισμὸς ἐγένετο δεινὸς, ὡς ὄρη διαστῆναι comparasset.

Romani nequiquam ultra resistere conantes (vs. 627) tandem pulsi, ut ap. Polyb. c. 84 § 9 et Liv. c. 6 § 6 sq., in lacum ipsum urgentur (vs. 630 sq.). Solus consul imperculsus ad novum in hostes impetum faciendum suos stimulat (vs. 632 sqq.) et ipse fortitudinis exemplo dato (vs. 644) mortem oppetit. De qua narrans Silius Livii et Polybii testimonia in unum coniunxit. Nam et ‚Ducarium', a quo Livius peremptum esse consulem tradidit c. 6 § 3 sq., contra Flaminium advectum facit (vs. 645 sqq.), sed etiam honorem interfecti imperatoris uni barbaro invidens, ut recte perspexit Cosack. quaest. Sil. p. 29 sq., tot simul hostes tela coniecisse scribit, ut nemo eorum sibi soli gloriam facti vindicare potuerit (vs. 656), in quo Polybii προσπεσόντες τινὲς τῶν Κελτῶν (c. 84 § 6) auxit.[1]) Ducarius autem, si non Insuber ut a Livio, appellatur, sed de stirpe Boiorum (vs. 647. 650) fuisse dicitur, quod Heynacherus (progr. p. 27, 11) praeter iam memoratam apertam cum Livio repugnantiam indicium alieni auctoris esse opinatur, more tantum poetarum ubique obvio pro toto Gallorum populo certa quaedam gens substituitur, sicut nec antea (vs. 105) Flaminium victoria ex Insubribus, sed Bois reportata superbientem fecerat. Propertius vero (V, 10, 40) Virdomaro Insubri[2]) etiam ‚Belgicam parmam' dedit.

Super membra necati consulis nobilissimi iuvenes Romani, iam vitam perosi, sibi ipsis mortem consciscunt et cadaver eius superstratis suis corporibus quasi tumulo condunt (vs. 659 sqq.). Romanos vero ipsos in hac pugna sibi manus iniecisse, quod et Ihnius in historiam Romanam suam (II, 177) recepit, alibi legisse me non memini, nisi forte Polybii verba III, 84 § 10, ubi, qui in lacus aquam descenderint, partim se ipsos undis suffocasse tradit, huc

---

1) cf. Blass. ann. Fleckeis. 1874, p. 503.

2) sive is Gaesatorum, populi ad Rhodanum habitantis, rex fuit, ut Plutarchus vult Marcell. c. 6.

aliquis trahere velit. Attamen consilium post ducem amissum vitae finem faciendi, quod desperatis animis perquam aptum est et forti periculorum contemptui, quo cives apud Livium c. 6 § 3 sq. Flaminium defendunt, respondet, ex poetae ipsius ingenio facile addi potuit.

V, 677 sq.

Nox tandem contra manifesta Ciceronis (de divin. I, 35 § 7) et Livii (XXII, c. 6 § 1) manifesta testimonia, qui tres horas pugnatum esse affirmant, proelio finem imponit. Hoc autem minime Heynacheri (progr. p. 27, nr. 12) de Silii fontibus sententiam confirmare, sed pugnis totos dies explere vulgare esse poetis iam in proelio ad Ticinum facto vidimus et exemplis illustravimus. (p. 91. sq.)

Iam ad calcem perventum est; et omnibus accurate perpensis non sine causa, opinor, ad veterum fere virorum doctorum[1]) iudicium revertor, qui Silium Livii imprimis vestigiis institisse putaverunt, atque Cosackii sententiam firmioribus causis instruxisse mihi videor, qui fidem historicam Silio abrogandam censuit; nisi quod nec in rebus ad mythos et antiquitates spectantibus poetam ubique integram memoriam mordicus tenuisse, sed de suo nova figmenta libere adiecisse contendo. (cf. p. 21. sq.). Si cui disputationes de Livii auctoribus a viris doctis nostri aevi factas neglexisse videor, consulto difficiles et ambiguas illas quaestiones tamquam ‚periculosae plenum opus aleae' removi, quia Silium talem Livii textum, qualis nobis quoque praesto est, manibus versasse et ex omnibus eius librorum partibus, undecunque eae originem hauserunt, hausisse, ut puto, ostendi. Annalium scriptores vetustos eum quasi duces narrationis secutum esse minime apparet vel, si nonnumquam inspexit, certe demonstrari non potest. Interdum poetam etiam Polybium vel scriptorem cum eo consentientem consuluisse mihi quidem ex allatis saepius exemplis patet. De imitatione Pompei Trogi

---

1) cf. e. g. Rupert ‚comment. de Silii vita et carmine' (editioni praemissa) p. XXXIII.

p. 55 dixi. Denique nec vestigia lecti Herodoti[1]) et e Latinis scriptoribus Sallustii (cf. e. g. p. 123.), Valerii Maximi (cf. p. 54 sq.), Pomponii Melae (cf. pp. 98 et 100), Plinii maioris (cf. e. g. pp. 45 et 99) desunt. Multo spraeterea auctores Silium legere potuisse et, si veri similitudinem sequimur, legisse velut, ut unum nominem, Arruntium illum, qui tempore Augusti more Sallustiano historias belli Punici scripsit,[2]) non nego, sed, cum tot libri ex antiquitate sint perditi, de rebus, quas inde forte decerpserit, conicere opera inutilis esset. Quod ad nomina personarum carmini interposita attinet, nimis leviter in universum statuit Barthius ad Stat. Theb. II, 258 ‚Sollemne autem . . . poetis nomina sumere, a quibus velint', accurate iudicavit Claudius Dausqueius, qui ad Sil. II, 149 (p. 67. edit. 1618. 4) ‚Circumspecte Silius nomina suevit affingere et fere ex historia quaesita' dicit. Si quid momenti poetae tribuendum est, hoc, praeterquam quod interdum scripturam nominum apud Livium (cf. p. 122 ‚Bagas' et p. 123 ‚Isalcas'.) et Justinum (cf. p. 31. c. adnot 3.) confirmare potest, inde quaerendum videtur, num scriptores posteriorum saeculorum velut Florus, Eutropius, Orosius, historiae miscellae compilatores Silio sint usi, quod de Floro vir doctus M. littera signatus in recensione quadam annalium litterariorum Vindobonensium tomo XXVIIIo (=oct.—dec. 1824) inserta (p. 188—191 cf. p. 185) astipulante Cosackio quaest. Sil. p. 26 probare tentavit et dubitanter posuit Moerner ‚de Orosii vita eiusque historiarum libris' diss. Berol. ann. 1844 p. 118 adnot. et p. 119. Sed de hac re alio forte loco disputabo.

---

1) cf. Blass. ann. Fleckeis. 1874, p. 479 sq. et supra p. 28. sq.
2) vd. Teuffel. hist. litt. Rom.^{3} nr. 259, 7.

Theses.

1. Schol. Eurip. Orest. 859. (Dindorf. schol. Graec. in Eurip. II, p. 224 ad vsm. 872) ,*καθάπερ ἄλλοι τέ φασι καὶ Ἑκαταῖος γράφων οὕτως „ὁ δὲ Αἴγυπτος αὐτὸς μὲν οὐκ ἦλθεν εἰς Ἄργος, παῖδας μὲν* (al. *δὲ*), *ὡς μὲν Ἡσίοδος ἐποίησε πεντήκοντα, ὡς δὲ λέγω οὐδὲ εἰσί*"' pronomine ,*ἐγώ*' vel cum Dindorfio post *δὲ* vel cum Muellero (fragm. hist. Graec. IV, p. 627 ad Hecataei frgm. 357) ante eam particulam ad verbum, quod est *λέγω*, posito et Ad. Kirchhoffi („Die Composition der Odyssee", Berol. 1869 p. 62 sq.) emendatione ,*παῖδας δὲ ἀπέστειλεν, ὡς μὲν Ἡσίοδος ἐποίησε, πεντήκοντα*' probata ,*οὐδὲ εἴκοσι*' scribendum propono.

2. In Ciri epyllio ante vsm. 263 ,In quo falsa tamen lateat pietatis imago' versiculum fere talem, qualis est ,Nil etiam cupio naturae lege negatum' (cf. Manil. V, 380 Bentl.), excidisse arbitror.

3. Lucan. III, 197 pro scriptura tradita et ab editoribus servata, quae est ,mors **una**', lego ,mors **uda**'.

4. In oratione Corcyraeorum Athenis habita Thuc. I, 35 § 4 pro ,*τοὺς μεταστάντας*' conieci ,*τοὺς μονωθέντας*', quod ad Athenienses et Corcyraeos, si foedus inter se non faciant, refero.

5. Tac. ann. VI, 34 (= 40 Haase) pro ,mercennario milite' tradito utique legendum censeo ,mercennario militi', cum Parthos, non Hiberos copias mercede conductas habuisse ex c. 33 (= 39 Hse.) appareat.

6. Tac. ann. VI, 38 (= 44 Haase) ,**quadriennio**' restituendum est pro ,**triennio**', cuius corruptelae originem inde repeto, quod, cum ,quāquā quatriennio' in archetypo scriptum esset, Medicei librarius unam e tribus ,qua' syllabis omiserit Hanc coniecturam Nipperdeius, cui, cum sextum annales Taciteos ederet, eiusdem venit in mentem, argumento non sufficienti reprobavit.

7. Tac. ann. XV, 41 ,iam opes tot victoriis quaesitae et Graecarum artium decora, exim monumenta ingeniorum antiqua et incorrupta (sc. exusta sunt incendio Neroniano), **quamvis in** tanta resurgentis urbis pulchritudine multa seniores meminerint, quae reparari nequibant' pro ,quamvis in' levi transpositione ,**ut quamvis**' scripserim.

Vita.

Joannes Robertus Guilelmus Schlichteisen natus sum haud procul a capite imperii Germanici Gransoviae a. d. IV. Id. April anno huius saeculi LIXo parentibus Augusto et Mathilda de gente Bergemann, quibus adhuc vivis gaudeo. Pater, qui religioni evangelicae me ascribendum curavit, tempore, quo natus sum, assistebat teloneo, sed iam paucis mensibus post Postampium in ordinem superiorem promotus est. Ibi cum prima magistrorum disciplina imbui coepissem, pater rediit in oppidum meum natale, ubi elementa discere perrexi. Tum anno 1866 bellum illud inter Borussos et Austriacos exortum est, e quo Borussi victores discedentes et alios multos fines occupavere et Francofurtum ad Moenum. Huc cum pater meus missus esset, ut rationem vectigalium procuraret, ego Tychonis Mommseni auspiciis gymnasium huius urbis frequentavi et institutione Proff. Drr. Creizenachii, Al. Riesii, Rumpfii de litteris philologicis optime meritorum usus sum. Hieme autem eius anni, quo in quartam classem progressus eram, pater, ut eodem ibi ac Francofurti munere fungeretur, Cassellas missus Lyceo Fridericiano, quod a Dr. Gideone Vogtio regitur, commisit. In primam classem superiorem transscriptus, cum respublica patrem meum Gedanum accivisset, ut rationibus examinandis in provincia Borussia occidentali praeesset, Cassellis remansi ad tentamen maturitatis subeundum. Quod bene absolvere mihi contigit simul cum Guilelmo, celsissimo principe Borussico et augustissimi imperatoris nostri nepote, qui et postea nonnumquam a me conventus perhumane, ut hanc

dissertationem meam ei dedicarem, permisit. Testimonio cursus scholaris rite completi instructus et Gedanum ad parentes profectus inde, ut studio philologiae et historiae me dederem, cum Cassellis Prof. Dr. Weberus illius, Dr. Hartwigius, nunc gymnasii Corbaciensis rector, huius amore me affecisset, Berolinum me contuli. Ibi civitatem universitatis Friderico-Guilelmae adeptus et a vere anni 1877 usque ad autumnum anni 1878 versatus scholas frequentavi horum VV. DD. Proff. Drr. G. Curtii, J. G. Droyseni, Aem. Huebneri, Ad. Kirchhoffii, Th. Mommseni, Mullachii, K. W. Nitzschii†, Steinthalii, de Treitschkii, Vahleni, Wattenbachii, Zelleri et rebus, quae in seminariis philologicis et historicis tractari solent, consuescere coepi. Tum, ut aliorum virorum doctorum sententias cognoscerem simulque matri et patri, qui interim ab imperatore consiliarii rationum titulo ornatus erat, propior essem, Regimontium Prussorum petii et in numerum civium Academiae Albertinae receptus per haec quinque semestria audivi VV. DD. Proff. Drr. hos: Dahnium, L. Friedlaenderum, H. Jordanum, Lohmeyerum, Ludwichium, H. Prutzium, Fr. Ruehlium, C. Umpfenbachium, H. Wagnerum et Dr. de Kalcksteinium, quorum nonnulli et privata consuetudine me dignati sunt. Toto hoc tempore exercitationibus seminarii historici interfui. Seminarii regii philologici per biennium sodalis ordinarius et per sex quidem ultimos eius menses senior fui. Omnibus viris doctis, quos nominavi, pro fructibus, quos et ex disciplina et ex benevolentia eorum percepi, gratias ago semperque agam quam maximas.

Addenda et Corrigenda.

p. 15. lin. 6. pro ,uobilitandas' legas ,nobilitandas'.
p. 15. lin. 26. pro ,montio' legas 'mentio'.
p. 17. lin. 15. post ,infra' inseras ,p. 122. adnot. 4'.
p. 19. lin. 5. post ,Maricae' appingas numerum 2.)
p. 31. lin. 30. post ,infra' inseras ,p. 55'.
p. 32. lin. 17. pro ,(p. 99)' legas ,(p. 101)'.
p. 32. lin. 19. pro ,p. 11)' legas ,p. 14. c. adnot. 6)'.
p. 36. lin. 12. pro ,accentendae' legas ,accensendae'.
p. 44. lin. 33. pro ,p. 34' legas ,p. 49. c. adnot. 3'.
p. 65. lin. ult. pro ,p. 77 c. adnott. 321. 322.' legas ,p. 105 c. adnott. 1. 2' et pro ,p. 82' legas ,p. 110 sq.'
p. 76. lin. 35. post ,infra' inseras ,p. 92 sq.'
p. 81. lin. 33. pro ,Beitr.' legas ,Nachtr'.
p. 83. adnot. 4. adicias ,et infra p. 113'.
p. 97. lin. 3. pro ,testimonia' legas ,testimonio'.
p. 112. inscriptio ante numeros ,V, 1—6. 24—343' ponenda est.

Leviora excuset lector benevolus.